

JOH. DANIELIS SCHOEPFLINI
DIATRIBA
DE
ORIGINE, FATIS
ET
SUCCESSIONE
REGNI
NAVARRÆ

AD NOSTRA USQUE TEMPORA.
ADJECTA EST TABULA GENEALOGICA
ET INDEX.



ARGENTORATI,
SUMPTIBUS JOHANNIS REINHOLDI DULSSECKERI.
M DCC XX.



PRÆsens rerum temporumque status conficiendo huic scripto ansam dedit. Vidimus nuper maximam Franciæ armorum vim ad Navarræ fines effusam ; quæ Galliæ & Hispaniæ incolis recipiendi amittendi que aviti hujus Regum Franciæ regni & spem & metum injecerat. Inde operis mihi occasio desumpta ; quæ & simul me induxit, ut præcipua istius regni fata, & ipsas quoque ejus origines investigandas mihi proponerem : atque in hoc sane etiam examine deprehendi , quam imperfecta esset medii, ut vocant, ævi historia ; quam fabulosa non tantum sit antiquitas, sed & ipsa quoque recentior ætas ; & quam gravissimi tandem sæpe Historici, præcedentium scriptorum vestigiis traditionibusque non

satis caute insistentes, ipsorum errores, omisso accuratori examine , suos faciant ; atque juniores postea auctoritate sua in eosdem inducant. Prolixius uberioriusque in enucleanda illustrandaque celebris hujus regni historia versatus fuisseim , nisi plurimæ omnino rationes me induxissent , ut arctius ea constringere decreverim , quæ integrum volumini suppeditassent copiam.
De Auctorum, quos allegavi, locis, quibus probationes & ratiocinia mea nituntur, Lectores securos esse jubeo ; quanquam enim non omnibus , quos optaveram quæsiveramque , scriptoribus potiri licuerit, est tamen quod de illis , qui mecum hinc inde ex instructissimis bibliothecis benigne communicati sunt, mihi gratuler ; & nonnisi eorum sane , quos ipse evolvi, auctoritate atque testimoniois nisum me esse fidenter affirmo. Cæterum labor hic a juvene protectus , etsi non ad altius illud, quod materiæ hujus gravitas requirit, robur assurgat ; suo tamen conatu æquum haud difficulter, ut spero, impetrabit judicium.

CAPUT



CAPUT I.

Origo & Fata Regni Navarræ usque ad ejus distractionem sub Johanne Albretano.

ORIGINES rerum gentiumque obscuras plerumque, & ostensu difficiles esse, vetus querela est. Quodsi hoc in recenti etiam historia evenire videmus, quid mirum si in antiqua. Neque tamen huic de primordiis rerum & populorum præsertim disquisitione tam nocuit monumentorum, qui sæpe deplorandus est, defectus, quam infelix recentiorum scriptorum ambitio, qui vel ex nimio antiquitatis pruritu, vel, quod frequentius est, gentis suæ gloria inflati, depresso sæpe aliorum originibus, suas ad remotissima tempora rejicere satagunt; veritatis adeo incuriosi vel potius osores, ut & residuas vetustatis scintillas, quibus aliqua ad genuinam rerum cognitionem via adhuc pateret, tenebris involvant. Laborat hoc vitio omnium fere populorum historia, quæ a fabulis plerumque initium trahit: cujus rei perquam illustre documentum nobis quoque sistit Navarræ, de cuius primordiis nunc agemus, regnum.

Navarra nomen ducere traditur a *Nava*, qua voce Hispani planam campi aream, silvis ac dumetis cinctam denotant; cujusmodi regiones plures regnum istud continere

scribitur. *a* Situs ejus est inter Galliam ad septentrionem, Aragoniam ad ortum atque meridiem, & inter Castellam ad occasum. Pyrenæis montibus distinguitur in Inferiorem, quæ Gallica, *b* & superiorem, quæ Hispanica est. *c* Hæc iterum in quinque divisa districtus sive præfecturas, *d* a totidem oppidis dictas: Pompelonensem videlicet, Stellensem, Tudelensem, Sanguesanum, & Olitensem. *e* Incolæ veteribus dicti *Vascones*; qui a Romanis quondam subacti, partem Hispaniæ Citerioris, atque postea, ex nova Augusti divisione, Tarragonensis provinciæ constituerunt. Antiquissima eorum gesta in tanto Historicorum defectu ignota; repudiatis jam pridem Annii Viterbiensis *f* mendaciis, qui a Tubale ex Japheti posteris viginti quatuor Reges numerat, a quibus universa recta fuerit Hispania; donec ante Carthaginem *sum* invasionem in plures divisa fuerit civitates & minores Respublicas. A Romanis ad Visigothos transiit *Vasconia*. Hi enim in magna illa per seculum præsertim quintum migratione gentium, cum totus sere septentrio ad labefactandas Romani Imperii vires excitus videretur, *g* ipsum orbis tum caput Romam prius aggressi, *h* inde in Galliam translati, Narbonæ ab initio, & inde mox pulsi *i* Tolosæ

a Mariana de Rebus Hisp. L. 1. C. 4. Anton Nebrissensis,
Præf. de bello Navariensi.

b Memoires de Mornay T. 1. p. 183.

c Becmanni hist. Orb. terr. geograph. & Civ. C. 6. sect. 1. p. 164.

d Hisp. Merindades.

e Bosius in Notitia Hispaniæ, sect. 2. C. 2. § 33. Fournier notitia geogr. L. 7. C. 4.

f de Regibus Hisp. C. 4. fol. 291.

g Latzius de Migrationibus gentium.

h Paul. Diaconus Hist. Miscell. L. 13. C. 27. Jornandes de Reb. Geticis C. 30. Otto Frisingensis Chron. Lib. 4. C. 31. Singtonius de Imp. Occident. L. 10. ad A. 410. Onuphr. Panvinius de Comitiis Imperatoriis C. 4. p. 46.

i Paul. Orosius L. 7. C. 43.

losæ in Aquitania k sedes novi Regni fixerunt; atque extensis paulatim finibus suis citeriorem Hispaniam, Romanis exceptam, cum Aquitanica Gallia, suoque adeo imperio conjunxerunt: donec tractu temporis cum illis etiam populis, qui paulo ante regiones trans Iberum occupaverant, l commissi, Vandalis Alanisque devictis & in Africam transgressis, m Suevorum vero regno, & reliquiis Romanorum in illa regione paulatim quoque eversis, n maximam Hispaniarum partem, relicta Gallia, imperio suo soli subjecere. Unde regni Gothici origo vetustissima, hodiernis adhuc Hispanæ Regibus, qui genus suum inde deducunt, o gloria.

At hæc Gothorum felicitas, qua tot terras regionesque cum ipsa Vasconia ditione sua complexi sunt, sub initium octavi Seculi p vehementer labefactata, imo fere eversa fuit, cum Mauri ex Africa omnem Hispaniam, ipsamque adeo simul Vasconiam, diluvii instar inundassent; proditore Juliano Spathariorum Comite; cuius filiæ vel uxori Rodericus, Regum Gothorum ultimus, vim intulerat. q Muza sive Moses Africæ tum præfuit. Missus ab eo Dux Tarec, trajepto ad Gades freto, Hispaniam potenti manu invasit, locoque, ubi collectæ Maurorum copiæ, Arabicum nomen

A 2

Gibal

k Idacii Chron. L. 2.

l Orosius L. 7. C. 4. Alb. Kranzius Vandal. L. 1. C. 26.

m Sidonius Apollinaris Carm. 2. v. 363. sqq. Procopius de bello Vandal. L. 1. Nicephorus L. 14. C. 56. P. Diaconus L. 14. C. 9. Prosper, Marcellinus Comes, Cassiodorus, & Isidorus in Chronicis. Victor Uticensis de persecut. Vandal. L. 1.

n Rodericus Toletanus in Ostrogothorum & Suevor. historia C. 21.

Resendii Antiquitates Lusit. L. 3. p. 946.

o Rodericus Santias P. 1. C. 8.

p A 713.

q Rodericus Toletanus de Rebus Hisp. L. 3. C. 19.

Gibal Tarec, p montem Tareci dices, reliquit; q vocē tractu temporis ipsi quoque freto communicata. Mutatio-
nis hujus præfigia in famosa illa apud Hispanos *Fatalē Area* in Toletano Palatio extitisse passim docent Scriptores. Tam execrandæ proditionis occasione ipsi *Juliano* nomini tanta labes aspersa, ut hodienum Hispani infaustum illud judicent; quod Comitis de Olivarez, superiore seculo, exemplum comprobavit; qui cum filium suum naturalem legitimaret, abrogato ei Juliani nomine Henricum Philippum in posterum vocari voluit. r Tum vero Hispania in varios principatus divisa; tot Arabum regnis in ea fere subortis, quot provinciæ & celebriores erant urbes; ita ut novendecim tales reguli postea temporis numerarentur. Unde tanta quoque in Regum Hispaniæ titulis luxuries, cum paulatim istos principatus Christiani in suam reducerent potestatem; donec Ferdinandus Aragonius, expugnato Granatæ, quod reliquum erat, regno, eorum in Hispania imperium penitus extinxit; finitaque hac infidelium in ipsis partibus perio-
do, gloriosum *Catholici* nomen, s ex nonnullorum senten-
tia inde acceptum, diademati Hispanico in perpetuum annexuit.

Neque tamen Saracenica illa invasione omnis Gothorum potestas eversa. Inventus mox ex Regia ipsorum stirpe t magna-

p unde Gibraltar.

q *Geographus Nubiensis ex versione Gabrielis Sionitæ. Al- phonsus a Carthagena in Anacephalœsi Reg. Hisp. C.44.*

r *Vittorio Siri Merchr. L. I.*

s *Diego de Valdez de dign. Regn. Hisp. C. 13. §. 21. Seldeni Tituli honorum P. 1. C. 5. §. 5. Becmanni Syntagma Dignit. Illustr. Diff. 2. C. 2. §. 2. P. Martyr. Epist. 157.*

t *Chisletius Lumin. Prærogat. ad Vindic. Hisp. Lum. 6. p. 347. Mich. Ritius L. 2. Zuritæ Indices Rerum Arag. L. 1. p. 2. Mariana L. 6. C. 20. & L 7. C. 1. Blondellus in Plen. Assert. Genealog. Franc. p. 405.*

magnanimus Princeps Pelagius, qui reliquiis gentis suæ collectis, multitudineque ex fortium virorum concursu iudicis auctus rapidissimas Maurorum viatorias retardavit, præliisque felix in Asturiæ & Cantabriæ montibus regno primordia dedit, ^u quod primo *Asturum*, & mox ab Oveto, Regia sede, *Ovetanum*, tandem ab Ordonio secundo *Legionis* appellatum est. ^x Atque adeo collapsæ Gothorum res, non nomen, ^y aliquo modo restituta. Et huic jam Legionis regno, de cuius independenti potestate quoque caute pronuntiandum, coævam facit Navarriæ regni originem, quicquid ferre recentiorum Hispaniæ aliorumque historiæ scriptorum extat; quorum uno oscitante, oscitavit & alter. ^z Isti ergo in levibus tantum hinc inde circumstantiis discordes in hunc maxime modum Origines Navarricas recensent: Exemplo Asturum incitati, qui claustra & Pyrenæi montis juga occupaverant, viri præstantes Christiani, libertatem armis vindicare atque Saracenorum insultus generoso conatu repellere decreverunt. Electus hunc in finem Dux Princepsue omnium suffragiis ^a *Garfias Ximenis*, inclyto, quod Vasæus vult, Gothorum sanguine cretus. Is reportatis ex Saracenorum gente illustribus viatoriis, regnum instituisse dicitur, de cuius tamen appellatione non satis constat inter Scriptores. Vul-

A 3

garis

^u A. 714. *juxta Rod. Tolet. L. 4. C. 5.* A. 712. *juxta Rod. Sant. P. 1. C. II.* A. 716. *juxta Marianam L. 7. C. 1.*
A. 717. juxta Tarapham & Vasæum.

^x *Mariana L. 7. C. 20.*

^y *Alphonsus a Carthagena Anacephal. Reg. Hisp. C. 69. L. Marin. Siculus L. 7. princ.*

^z *L. Marin. Siculus L. 8. Vasæus in Chron. ad A. 716. Marianæ L. 8. C. I. Ritius L. 3. Hieron. Blanca ad A. 724. p. 581. Tarapha ad A. 716. Garfias de Sylva & Figuera Breviar. hist. Hisp. C. 25. Henninges Theatr. Genealog. T. 4. Part. postr. p. 38. Texera Vies & gestes des Roys de Navarre f. r. seqq. aliique.*

^a *A. 716, alii 720, alii 724.*

garis sententia, fundatum *Suprarbiæ* titulo. Patri, post quadraginta duorum annorum regimen, successit, *b* ex communi rursus sententiâ, *Garsias Iunicus*, qui erepta Mauris Pompe lone, regni sedem illuc transtulit; unde Pompelonense & peculiari demum nomine regnum Navarræ vocatum. Hujus filius & successor *c* *Fortunius Garsias* moriens hæredem reliquit *d* suum quoque filium *Sanctium Garsiam*, qui ducto in Mauros exercitu, totaque fere Navarræ provinciæ subacta, in prælio hostium multitudine circumventus, nulla relicta prole, occisus est. *e* Post cujus mortem Saraceni regnum Navarræ per aliquot annos occupasse scribuntur; donec *Enneco Aristæ*, novus rursum Rex creatus, expulsis Mauris, sibi posterisque suis regnum Navarræ vindicavit atque stabilivit. Hæc est illa tam decantata hujus regni origo. Neque tamen omnes hic subsistunt, nonnulli *f* ulterius progrediuntur, & *Sanctio Garsia* duos superaddunt successores, *Ximenem* scilicet *Garsiam* & hujus porro filium *Garsiam*. Decepti hi nimirum auctoritate Petri Marfilii, in antiquissimo Pinnatensi Navarræ Monasterio Sacerdotis, qui ante hostrecentos & quod excurrit annos, generalem Aragoniæ historiam, quæ in illis partibus adhuc ipsius Manu scripta servatur, compilavit: cuius tamen auctoritas jam pridem vacillare cœpit; postquam ejus fidem non tot vetustorum diplomatum exemplis, id quod olim credebatur, confirmari animadversum est. Non una sane suppetit ratio, qua hæc Navarrici regni antiquitas falsitatis & prochronismi arguatur, atque haud obscure demonstretur, omnes hos ante Enneconem

b A. 758.

c A. 802.

d A. 815.

e A. 825.

f Zurita Annal. Arag. L. 1. C. 5. Ejusd. Indices Rerum ab Arag. Regg. gest. L. 1. p. 4, Juan Briz Martinez Hist. de S. Juan de la Penya L. 1.

nem Aristam Reges confitos, supposititios & ex confusione cum posterioribus ortos esse. Quodsi profecto quicquid vetustiorum Hispаниcarum pariter Francicarumque rerum scriptorum supereft, excutiamus, nullum tandem proprium Regem Pompelonensibus seu Navarris ad Ludovici usque Pii, Imperatoris ætatem prafuisse post serium examen deprehendimus; sed ipsos aliquandiu immunes imperii, mox Asturiæ, mox Francorum Regibus, nonnunquam etiam Saracenis subjectos fuisse; & ipsum tandem Suprarbiæ Regis titulum ante Sanctii Majoris ætatem gessisse neminem. *Isidorus Pacensis* g Episcopus, qui sub ipso invasionis Mauricæ tempore vixit, & istius ætatis Chronicon, continuationis instar ad Isidorum Hispalensem, edidit; b *Sebastianus* item *Salmanticensis*, qui res Hispanicas signavit a tempore Pelagii usque ad Alphonsum Castum; hi, inquam, duo maximæ auctoritatis illorum temporum scriptores, & de statu Christianæ rei describendo pràsertim folliciti, non modo de hoc Navarræ regno tum orto nihil produnt, sed & ea potius recensent, quæ totam hanc narrationem omnino evertunt; totius Hispaniæ, non excepta Navarra, Saracenis subjectæ atque tributariæ non semel mentionem facientes. Navarros porro ab Alfonso Catholico, ex successoribus Pelagii, Asturiæ Rege circa octavi seculi medium subactos, *Lucas Tudensis*, haud minus gravis Ibericarum rerum scriptor tradit; non refragante Sebastiano, qui mox in Froila Alphonsi successore, i eum *Vascones rebellantes superasse atque edomuisse*, clarissime dicit, sententiamque adeo popularis sui egregie confirmat. Sed & Saracenorum arma tum non substituisse intra Hispaniam, omnium Historicorum consenserunt. Trajecere illi montes Pyrenæos non semel magnis exer-

g de Badajoz.

b usque ad A. Era Hisp. 792. Christi 754.

i A. 757.

exercitibus; jam ante Carolum Magnum Franciæ partes invasuri; at fortiter etiam repressi; quod illustris contra ipsos apud Turones reportata a Carolo Martello victoria, *m* cuius gloriam nulla obfuscabit ætas, demonstrat. Quomodo tum Mauri trans montes imperium dilatare voluissent, si magnum hostium Christianorum regnum in Hispania flourisset, & in iis quidem partibus flourisset, per quas necessarius erat eorum in Galliam transitus; ubi, si tum fuissent Navarræ Reges, facile cum Francis erant conspiraturi.

Sed Carolini præsertim ævi Annales Francici, nullos istius temporis Navarræ Reges fuisse egregie declarant. Illi certe, quos Hermannus Comes Nuenarius edidit, atque Eginhardo vindicavit Chesnæus, expeditionis in Hispaniam a Carolo M. suscepτæ ita mentionem faciunt, *n* ut non solum Navarrotum metropolim, Pompelonem, sed & ipsam trans Iberum præcipuam illarum partium civitatem Cæsaraugustam a Francis occupatam memorent; quæ eadem disertis verbis vel repetita, vel confirmata ab Aimoino, *o* Eginhardo, alioque Anonymo Carolinæ vitæ scriptore leguntur: mendacii pridem damnato, qui tot fabulosa de eodem bello tradidit, pseudo Turpino. *p* Neque dissimulant hos Caroli progressus Hispani. *q* Ille ut has sibi provincias fortiori vinculo obstringeret, novos iis Custodes, sive Præfectos aut Comites imposuit; unde toties, *Hispanici Limitis, Marœ Hispanicæ Custodum* apud eosdem scriptores mentio: *r* quo sane

m Annales Fulenses ad A. 732. sqq.

n ad A. 778.

o de gestis Francorum L. 4. C. 72.

p Hottmannus in Francogallia C. 5. Papirii Maffoni Annales Galliæ.

q Rodericus Tolet. L. 4. C. 10. Lucas Tudensis ad A. Eræ Hisp. 828. Mariana L. 7. C. 11.

r Annales Eginhardi A. 809. 810. 821. 822. &c. Astronomi vita Ludovici Pii ad A. 828. Annales Francor. apud du Chesne T. 2. ad A. 810.

CAPUT PRIMUM.

,

sane limite quicquid inter montes & Iberum jacuit, comprehensum; Eginhardo evidenter testante, ^s Carolum M. usque ad Iberum cuncta domuisse; cuius rei & ipsa Cæsarau-gustana expugnatio documentum sat evidens est. Sed & redux mox Carolus, filium suum Ludovicum, Aquitaniæ Regem creavit; ^t quod regnum non ipsam tantum Aquitaniam, sed Marcam quoque Hispamicam ditione sua complexum est. ^u Cum vivo adhuc Carolo Navarri defectionem moliti Saracenis sese adjunxit, postea rursus a Ludovico Aquitanix Rege in fidem recepti sunt: ^x quæ verba Jacobus Breulius in suis ad Aimoinum Epitomis male de conversione ad fidem Christianam, a qua nunquam recesserant, interpretatur. ^y Hic ipse Ludovicus Pius filium quoque postea suum Pipinum, Aquitaniæ Regem constituit; sub quo Limes ille Hispanicus Aizonis præsertim defectione ^z valde labefactatus: imo accidente postea civili inter filios & patrem Ludovicum bello, magis magisque a Francorum imperio recessisse scribitur. Unde Navarri de suis quoque commodis solliciti occasionem nacti videntur, ut sui juris se redderent, Regemque sibi contra Saracenorum insultus crearent. Et hæc jam sunt illa tempora, quibus vera Regni Navarrici origo adscribenda est, consentiente omni historia, vetustiorum Auctorum & ipsorum præsertim Diplomatum testimoniis.

Electus ergo primus a Navarris Rex ^{a ENNECO-}
^B ^{Garsiae,}

^s in vita Caroli M. p. 7. apud Reuberum.

^t A. 781.

^u Annal. Eginh. A. 826. Mezeray ad A. 781.

^x Annal. Eginh. ad A. 806. Anonymi vita Caroli M. Aimoinus L. 4. C. 94.

^y Petrus de Marca, in Marca Hispanica L. 3. C. 18. §. 6.

^z Annal. Eginh. A. 826 & 827. Astronomi vita Ludovici Pii ad eosd. annos.

^a Hisp. Innigo.

Garſiae, dictus *Arista*; cognomine varie explicato *b* & *Bigorre* Comes; evidenti antiquitatis testimonio; *c* atque adeo non ex Vice Comitibus Baigortiæ, qui pagus est in Vasconia Aquitanica regione montana situs, quæ doctissimi Oihenarti, *d* patriæ suæ honori aliquid forsan tribuentis, sententia est. Recentiores, quos hactenus refutavi, scriptores hanc Enneconis electionem quoque commemorant, sed, quod supra ostendi, post enarratos demum quatuor vel sex suppositios Reges; hos itaque si expunxeris, sequentia, quæ de nova hac Enneconis electione referunt, bene se habent. Atque hujus assertionis amplissimus testis est, gravis decimi tertii ineuntis seculi Auctor, *Rodericus*, Archiepiscopus *Toletanus*; antiquissimus de Origine Navarricū segni scriptor; cuius vestigiis institutus *Rodericus Santius*, *e* & *Alphonsus* a Carthagena. *f* Ille omissis, quæcunque de prioribus Regibus afferuntur, regni istius primordia ad Enneconem hunc Aristam refert. *g* Magis tamen sibi obstrinxisset posteritatem, si, quemadmodum in designando primi Regis nomine, ita & in tempore accuratissime determinando sedulus fuisset. In tanto Historiorum dissensu mihi quam maxime probabile videtur, circa tempus intestinorum regnatrixis in Francia familiæ motuum, existente Ludovici Pii temporibus *h* quasi interregno, Enneconem fuisse electum. *i* Sed quanquam hunc illustria contra Saracenos facinora ad istud regni fastigium promoverint, non tamen a populis liberam, sed valde adstrictam regandi potestatem accepit. *k* Ad hæc enim tempora referuntur

b *P. de Marca hist. de Bearn.* L. 2. C. 8. §. 12.

c *Rodericus Toletanus* L. 5. C. 21.

d *Notitia utriusque Vasconiae* L. 2.

e *Hist. Hisp.* P. 1. C. 12.

f *Anacephal. Reg. Hisp.* C. 69.

g L. 5. C. 21.

h *Theganus* p. 281. & *Nithardus* L. 1. apud du *Chesne* T. 2.

i Circa A. 829. *Vasæus* ad A. 839. ponit.

k *Vasæus Chron. Hisp.* ad A. 839.

runtur leges illæ, quas postea *Suprarbienses Foros*, id est, *Libertates aut Privilegia in Suprarbis condita*, nuncupavere; quarum fragmenta ex Caroli Vianæi Principis historia *Navarræ* produxerunt Zurita *I* & Blanca. *m* Orta hinc illa tam celebrata Aragonum libertas, legibus istis apud eos præsertim populos, *Navarræ* postea unitos, remanentibus; quorum propterea frequens jactantia: *apud ipsos prius leges conditas, quam Reges creatos fuisse.* Istarum libertatum vis auctoritasque speciatim substituit, in illa, quam vocant, *Aragonie Justitia*; *n* qua inter Regem & populum *Judicis medii Praefectura*, vel, uti porro vocant, *intermedius Magistratus vindicandæ libertatis caussa stabiliebatur.* Neque recentiori ævo, istam Aragonum libertatem omnino exoluisse, præteralia, vel unum Antonii Perezii, Philippo II. quondam a secretis, exemplum comprobat; *o* qui etiam portentosam juramenti Regi suo ab Aragoniis præstigi formulam producit. *p* Assumptam quoque ab Ennecone hoc Arista ex cœlesti visione certam regni tesseram, argenteam nimirum crucem in cyanei coloris scuto memoriati scriptores tradunt; quæ Navarrici regni insignia porro, ex plerorumque sententia, ad Sanctii usque Infirmi, quem alii Fortem vocant, ætatem duraverunt; tum enim *q* in memoriam catenarum, quibus Maugororum Rex Miramo-

B 2

linus

*l L. i. Annal.**m Comment. Rer. Arag. p. 588.**n Blanca p. 589. L. Marin. Siculus L. 8. p. 364.**o Relaciones de Antonio Perez fol. 88. sqq.*

p fol. 92. Nos, que valemos tanto como vos, os fizemos auestros Rey, y sennor, con tal que nos guardeys nuestros fueros, y libertades, y sino No. *Id est: Nos, qui tantum valemus ac Tu, Te facimus nostrum Regem & Dominum, hoc pacto, ut nobis serves nostra instituta & libertates, non alia conditione.*

q A. 1212.

linus r castra vel aciem suam munierat , obtenta a Navar-
ris victoria , crucis loco aureæ in campo rubro , catenæ,
cum Smaragdo iisdem catenis inserto assuntæ dicuntur : s
Blondello , Labourerio , Menetrierio , Moreto & Oihe-
narto in diversa abeuntibus ; Spenero t tandem ex Hiero-
nymo Blanca u a dupli cruce , erecta nimirum & decussa-
ta , figuram hanc deducente ; cum , quæ communior est
sententia , Chifletius x laterculum coccineum carbunculo li-
neari clauso & sphærulis discreto , aureo impressum existimet :
quorum omnium litem ut excutiamus , hujus nec loci nec
spatii est.

Enneconis Aristæ successores Rodericus Toletanus , y &
ex eo reliquum fere scriptorum vulgus , ita ordinat , ut ipsi
Garsiam , huic *Sanctium* cogn. Abarca ; isti vero iterum
Garsiam cogn. *Tremulum* & huic tandem *Sanctium Majorem* ,
suum cuique filium successorem det ; aliis hinc inde eos pau-
lo aliter ordinantibus . Verum omnia horum tradita plane
evertit vetus Regularum Ordinis Benedictini Codex ex Lei-
rinensi , vetustissimo Navarræ , & ab ipso Ennecone Arista
instaurato , Monasterio productus a Garibaio & ipso quoque
Oihenarto . z In illa antiquissima relatione Enneconi Ari-
stæ filius tribuitur *XIMENES* ; Ximeni ENNECO ; En-
neconi vero *GARSIAS* ; quæ egregie porro confirman-
tur duabus Chartis , quarum alteram hujus ipsius Garsiæ pro-
duxit Blanca ; alteram vero Enneconis secundi protulit ipse
etiam

r *Rectius Emir elmumenin* , voc. Arab. id est Princeps creden-
tium. Herbelot Bibliothèque Orientale p. 314.

s Texera Vies & gestes des Rois de Navarre f. II. Rittershu-
sius in Genealogiarum Exegeſi p. 56.

t Hist. Inſignium L. I. C. 24. §. 47.

u Commentar. de reb. Arag.

x Inſign. gentil. Equitum Ord. Aur. vell. n. 57.

y L. 5. C. 22. & 23.

z P. de Marca Hist. de Bearn. L. 2. C. 8. §. 7.

etiam Garibajus. Neque tamen secundo huic Enneconi immediate successit Garsias filius. Regnavit inter hos frater Enneconis *GARSIAS Ximenis*, & post patrui demum mortem successit Garsias Enneconis. Reliquos ad Sanctium cogn. Majorem Reges itidem ex pervetustis Pinnatensis Navarræ Monasterii aliisque Diplomatibus eruerunt doctissime. que demonstrare Oihenartus *a* & Petrus de Marca, *b* ita quidem, ut Garsia Enneconis substituant duos ejus filios, *FORTUNIUM & SANCTIUM*. Huic vero Sanctio successorem dant filium *GARSIAM*; qui similiter regnum reliquit *SANCTIO* filio cogn. *Abarca*, quem tandem excepit filius *GARSIAS* cogn. *Tremulus*, Sanctii Majoris Pater; qua in re tantum a reliquis scriptoribus discrepant doctissimi hi viri, singularibus eximiisque documentis muniti, ut cum illis Sanctius Major Enneconis Aristæ Abnepos dicatur, hi trinepotis nepotem, adeoque non quarto, sed octavo gradu ab Ennecone remotum fuisse demonstrent.

Atque hinc tandem clarius & inter eruditos vix controversa oritur reliquorum a Sanctio Majore Navarrorum Regum genealogia. Hic *SANCTIUS Majoris* cognomen *a* felicitate sua accepit, qua haud minimam Hispaniæ partem suæ ditioni subjecit; unde vulgo Imperator Hispaniæ appellatus fuit. *c* Cum Navarram & Aragoniam a patre; Castiliam per uxorem, cui Majoris vel Nunnia, vel juxta alios, Elviræ *d* nomen, Sanctii Castellæ Comitis filiam; spem vero in Legionis regnum per nuptias filii sui Ferdinandi cum Sanctia, Veremundi Regis improlis sorore accipisset, tandem ad perniciosum dividendi inter filios principatus consilium *e* progressus, *GARSIAM* natu ma-

a Notitia utriusque Vas. L. 2.

b Hist de Bearn. L. 2. C. 10.

c L. Mar. Siculus L. 8. p. 365. Mariana L. 8. C. 13.

d Mariana C. 12.

e Mariana L. 8. C. 10.

ximum in Navarræ regno & Castiliæ parte successorem constituit; Ferdinandus, post affinis mortem Legionis regnum habituro, f reliquam Castiliæ partem; Gonsalvo, quem nonnulli Sanctum nominarunt, Soprarbiæ Ripacurciæque & Ramiro tandem Notho Aragoniæ Principatum assignavit. g
Isti cum paternas æquare opes cuperent, angustioribus se finibus circum septos rati, mutuis mox dissidiis collisi & attriti sunt. h Garciæ Regis Navarræ stirps diutius floruit, & demum in ejus atnepote S A N C T I O fortissimum quidem principe, at ex adversa valetudine simul infirmo, & hinc sine prole mortuo emarcuit. i Hic genus suum per proaviam ex gloriose invictissimi Hispaniæ vindicis sanguine duxerat. Is erat k Rodericus Vivarius, cognomento Cid l ab Arabibus desumptus. Vir tantus opera, consilio, virtute, incredibilique Christianæ rei promovendæ studio, m ut & defunctus terrori esset, quos saepe vivus stupenda fortitudine profligavit, Mauris. n Atque hujus ex Ximenia, Gomezii o Dynastæ in Gor-
maz,

f Rodericus Tolet. L. 6. C. 8 & 9.

g Vasæus ad A. 1012. Alph. a Cartagena C. 72. L. Marin.
Siculus L. 8. p. 366.

h Rodericus Tolet. L. 6. C. 10.

i Texera f. 12.

k Ruy Diaz Cid; cuius memoriam illustri Tragicocomœdia renovavit P. Corneille.

l id est, Dominus, quod nomen ab ipsis Mauris accepit. Garibay Compendio historial d' Espanna L. II. C. 6. ad A. 1056.

m L. Mar. Siculus L. 7. Tarapha in Ferdin. I.

n Mariana L. 10. C. 4.

o Vetus Epitaphium, si genuinum, apud Brizium Martinezum Historiæ Pinnatensis L. I. C. 46. hanc Ximeniam frue Eximinam vocat Regis Sanctii natam. du Fresne Glossar. in voc. Cid.

maz, quem ipse Cidus occiderat, filia, p natam Elviram in matrimonium accepit Ramirus, q Sanctii Regis, a Raimundo occisi, filius, Sanctii que Infirmi Proavus : quo felici pariter solidoque vinculo fortium istius Herois gestorum gloria Navarricæ genti communicata.

Inde frequenter regnantum in Navarra stirpes mutatae. Et primum per BLANCAM, Sanctii Infirmi sororem, nuptam THEOBALDO, Campaniæ Comiti, r regnum ad Campanos translatum : quorum primus fuit Blancæ filius, THEOBALDUS Posthumus. Cui cum ex ordine successissent filii duo, THEOBALDUS & HENRICUS, hic relicta hærede filia unica JOHANNA, uxore PHILIPPI PULCHRI, Galliæ Regis, genero regnum reliquit, s qui id porro transmisit ad filium LUDOVICUM HUTTINUM t ex Johanna natum. Hujus filia unica, quæ & ipsa JOHANNA fuit dicta, matrimonio juncta PHILIPPO Eburovici, u Ludovici Sancti, Galliæ Regis pronepti, ad eum dotale regnum Navarræum attulit. Ex his conjugibus natus est CAROLUS I. cogn. Malus, Navarræ Rex; cui filius successit CAROLUS II. Hunc vero BLANCA filia cum marito JOHANNE Aragonio excepit. x Ex hoc matrimonio tria soboles orta.

p Garibay L. II. C. 6. ad A. 1056.

q Rodericus Santius C. 27. Roder. Tolet. L. 5. C. 24. Texera f. 9.

r Rodericus Tolet. L. 5. C. 24. Mariama L. 12. C. 16.

s Anselme histoire genealogique de la maison Royale de France. p. 52.

t P. Amylius & Rob. Gaguinus in vita ejus.

u Zurita in Indic. Regg. Arag. L. 2. p. 171. Mariama L. 15. C. 19.

x Hieron. Blanca de Reb. Arag. p. 703.

orta. ^x Sed Carolo filio ante patrem sine prole defuncto , & sorore ejus Blanca , quæ sterile cum Henrico IV. Castiliæ Rege matrimonium habuerat , & ab illo tandem plane fuerat repudiata , sine prole decedente , altera soror *ELEONORA* , *GASTONI* Foxio Comiti nupta , hæresque Navarrici regni facta , illud in filium Gastonem Foxii , Benearnii & Bigorræ Comitem propagavit ; ^y ante parentes quidem mortuum ; ait relicto filio , *FRANCISCO PHOEBO* , in Navarræ regno post aviæ obitum imperante . Sed & hic mox præcoci morte reliquit regnum sorori suæ *CATHARINÆ* : quæ in uxorem data *JOHANNI* , Alani filio , ^z ex illustrissima per Aquitaniam *Albretanorum* gente oriundo , Navarram marito in dotem attulit . Ita florentissimum regnum indi- vulsum hactenus , continuo succendentium sibi invicent Regum , Reginarumque ordine , paulatim ab alia ad aliam familiam translatum , tristem nunc prorsus catastrophen subiit ; Hispania artibus suis novam ipsi periodum iu- ducente ; quæ maximam ejus partem , cum hactenus indivisum suis Regibus pare- ret , armis sceptro suo sub- jecit ,



CAPUT

^x Tarapha de Regibus Hisp. p. 567.

^y Belcarius in Comment. Rer. Gallicar. L. I. C. 5.

^z Blondellus Præf. Apolog. ad genealog. Franc. XVII. 4.

CAPUT II.

Distractio Regni Navarræ sub Johanne Albretano, eorumque tem- porum status.

THEATRUM belli præcipuis Europæ Gentibus tum exhibuerat Italia; in qua, inde ab initio seculi præsertim sexti decimi, de Insubria & Neapoleos Regno, Galli, Germani, Hispani, mox unitis, mox oppositis inter se viribus, cruenta prælia decertavere. *a* Fuerat eo etiam tempore Romæ Pontifex Julius II. qui A. MDVIII. inito inter Ludovicum XII, Maximilianum Cæsarem, & Ferdinandum Catholicum, Cameracensi contra Venetos fœderi accesserat; *b* repetendis plurimis, quas Veneti superioribus bellis, rebus suis inservientes, hinc inde occupasse dicebantur, provinciis: *c* vindicaturis Cæsare & Ludovico acceptas a Venetis injurias; quorum prioris in Italiam proficiscentis conatus impedivere; *d* alter vero regni Neapolitani jacturam, factamque ejus ab Hispanis invasionem ad ipsos referbat. *e* Sed cum Julius biennio post subito cum Venetis, quibus ante sacris interdixerat, in gratiam rediisset, ex fœderato Ludovici acerrimus hostis factus, arma in eum, a quo

C

a Thuanus Hist. L. i. Guicciardinus Hist. Italiæ L. 5. sqq.

b Pontani Hist. Gelrica L. ii. p. 637. Haræi Annales Ducum Brab. T. i. p. 522. Bembus Hist. Veneta L. 7. p. 290. Justinianus Hist. Venet. L. ii. p. 217.

c Paul. Jovius Epit. Hist. L. 9.

d Ghilinus de Maximiliani in Italiam adventu A. 1497. apud Freher. Scriptor. Rer. Germ. T. 3. p. 103 & 104.

e Belcarius Comment. Rer. Gallic. L. 10. C. 26.

quo tamen antea tot beneficiis obstrictus fuerat , f convertere statuit. Suspecta nimurum Julio, Caroli IX. Regnum Neapolitanum invadentis exemplo, g Franci potentia esse coepit, h qui vi percussi fœderis Venetos magno exercitu aggressus, tam stupendos brevissimo tempore armorum successus habuit, ut illi, intra maritimum duntaxat imperium inclusi, ad quasvis accipiendas pacis conditiones jamjam redacti viderentur ; i idem fere cum Atheniensibus olim Xerxe imminente fatum habituri. Metuere hinc & alii rebus suis : Hispanus præsertim ; qui de conservando sibi acquisito Neapoleos regno, ob quod nunc etiam in fidem a Pontifice receptus erat, quam maxime sollicitus. k Ita mutatis sociorum animis nova & adversus Gallos quidem fœdera fabricata : l nitente quoque Ferdinando, cuius præcipui jam pridem conatus, ut Gallorum in Italia potentiam infringeret. m Acceſſerunt pacto Veneti ; n & ipsi mox Helvetii ; qui, cum Ludovicus viginti nummum aureorum millia antiquis eorum pensionibus addere recusaret, gravior exacerbati , o accepto nunc quoque a Pontifice splendidissi-

f Martin du Bellay *Memoires* L. 1. p. 2 & 3.

g *Memoires de Comines* Liv. 7.

h *Onuphrius Panvinius in vita Julii* II.

i *Belcarius* L. 11. C. 18 & 19. *Petrus Martyr Epist.* 416 & 419. *Chytraeus Chron. Saxon.* L. 6. p. 189.

k *Gomecius de Reb. gest. Francisci Ximenii* L. 5. p. 1060. *Belcarius* L. 13. C. 6.

l *Petr. Martyr. Epist.* 467. *Belcarius* L. 13. C. 9. *Guicciardini.* L. 10.

m *Gerhardus de Rho* *Annal. Austr.* L. 12. p. 450. *Mich. Coccinius de bello Maximiliani cum Venetis apud Freberum* T. 2. p. 548.

n *Bembus Hist. Ven.* L. 12. p. 485.

o *Belcarius* L. 13. C. 13.

diddissimo *Defensorum Ecclesiasticae libertatis* titulo, eo facilius ad contrarias Gallo partes transiere. *p* Anglus denique omnibus licet modis ad socium fœdus a Julio pellectus, recente tamen adhuc regno, subscribere noluit; artibus tandem Ferdinandi ad societatem perducendus. *q*

Perstitit in societate Ludovici, præter paucos in Italia Principes, Maximilianus Imperator; *r* non tam ex sincera cum eo amicitia, quam ob insigne in Ferdinandum & Venetos odium: quorum ille, mortuo Archiduce Philippo, ab omni Castiliæ regni administratione, Carolo adhuc minore, Cæsarem excluserat: *s* Veneti autem alienatum pridem Maximiliani animum, recuperata per dolum Patavina urbe, & implacabiliorem reddidere. Atque hanc qualcunque Cæsar's amicitiam firmiorem reddere conatus est Ludovicus; injecta ipsi maximæ Italæ partis, sociis armis recuperandæ fiducia; quam antiquissimum Occidentalis Imperii patrimonium in suam reducere potestatem Maximilianus tentaverat. *u* Non neglecta interea pacis cum Julio consilia: qui cum indies vehementius contra Gallos excandesceret, *x* accedente præsertim Comachensi cum Alphonso Atestino, a cuius partibus Ludovicus steterat, de Salinis controversia, *y* deliberari de convocando universali Concilio, Julioque in ordinem redigendo, inter fœderatos

C 2

ratos

p Petr. Martyr Epist. 490. Guicciardin. L. II.

q Larrey Hist. d'Angleterre, Henry VIII. p. 86.

r Gerb. de Roo L. 12. p. 450. Belcarius L. 13. C. 4.

s Mariana L. 29. C. 7. Pontus Heuterus Rer. Belg. L. 7. C. 24.

t Onuphr. Panvinius in vita Julii II. Chytræus in Chron. Saxon. L. 6. p. 189.

u Belcarius L. 12. C. 14. Mezeray Hist. de France ad A. 1510. Gerb. de Roo L. 12. p. 449.

x Cabassutius in Notitia Ecclesiastica p. 569.

y Panvinius in Julio II. p. 363.

ratos cœptum est. Et congregata mox Anno M D XI Pisis auctoritate Maximiliani & Ludovici z Synodus , ex Constantiensis, Basiliensisque Conciliorum decreto , & vi sacramenti ab ipso Julio ante electionem præstiti. *a* Continuata eadem , præsentibus novem , ut Bembus scribit , primæ notæ Cardinalibus , Mediolani , & Lugduni tandem sequente anno terminata. Citatus in ea Julius Pontifex , post tertiam contumaciæ accusationem damnatus & ab officio suspensus fuit. *b* Præluserat jam hisce conatibus Ludovicus , cum paulo ante universalem Ecclesiæ Gallicanæ conventum Turonibus instituisset , suæ contra Pontificem causæ capita solenniter examinaturus. *c* Ibi tum ille armorum suorum justitiam egregie stabilitam , magnoque consensu comprobatam vidit ; atque mox Galliæ incolis graviter injunxit , ne ullius beneficii cauffa Romam peterent , aut confirmandæ Ecclesiasticæ dignitatis gratia pecuniam e regno exportarent. *d* Neque vero hic Ludovici indignatio substituit , sed contraria porro obnuntiatione Pontificis diras generose revicit ; cuso etiam in odium Julii aureo numero , hodienum adhuc conspicuo , qui titulos Regni Franciæ & Neapolitani cum effigie sua ex una parte & insignia Galliæ ex altera referebat , cum hoc elogio : *Perdam Babilonis nomen* : *e* Harduino frustra ad Babylonem (sic scribit)

a Goldasti Constitutiones Imperiales T. I. p. 421. Michael Coccinius apud Freher. p. 545.

b Tom. 34. Concil. Ed. Reg. p. 67.

c Edmundus Richerius in Hist. Concilior. general. L. 4. C. 3. Odoricus Raynaldus T. XX. Annal.

d Belcarius L. 12. C. 14. Cabassutius l.c. in Synopsis Historica sec. 16. p. 569.

e Mezeray Hist. de France ad A. 1510.

f Thuanus L. 1. Le Blanc Traité des Monnoyes de France p. 263. Hotomannus Fulm. brut. p. 177.

bit) Ægyptiam f id trahente ; g clarissimis Historicorum in contrarium testimo niis, aliisque temporum rerumque circumstantiis refragantibus.

At Julius eo ipso tempore alia in Laterano h collecta Synodo stipatus, Pisanum Concilium non modo fulmine percussit , sed & alterum ex præcipuis ejus defensoribus in partes suas pertraxit. i Magna mox inse cuta rerum Galliarum catastrophe. Ille paulo ante in Ravennatensi prælio k sub heroico Gastonis Foxii ductu contra fœderatos vi tor, & per universam fere Italiam triumphator exercitus, qui Romæ & Hispaniæ jam extrema minari videbatur, ob avaritiam quæstorum , ortumque inter Duces post Gastonis mortem dissensum , l mox diminutus , eoque infirmitatis redactus est , ut expulsis eodem anno ex toto Mediolanensi Ducatu Galliæ copiis , restitutoque , Helvetiorum præser tim ope , Maximiliano Sfortia , expulti Ludovici filio, nihil fere amplius Francicis armis securi superesse in Italia vi deretur. m Dederat tum sane Cæsar grande imbecillitatis & inconstantia humanæ documentum , cum cauissam illam, quam antea tam strenue & tantis moliminibus urserat , nunc tam facile desereret , atque omnia Concilii Pisani acta in fœdere cum Pontifice inito , n atque in Comitiis postea Coloniensibus o revocaret. p Maximiliano , de cuius incon

C 3

stantia

f le Grand Caire.

g Joh. Harduini Opera selecta p. 905. & Supplement du Journal des Savans, Janv. 1707. p. 194.

h Schilterus de Libertate Ecclesiæ. Germ. L. 7. C. I. §. 6.

i Gerb. de Roo L. 12. p. 456.

k Bembus Hist. Venet. L. 12. p. 509.

l Belcarius L. 13. C. 42.

m Memoires de Mart. du Bellay L. 1.

n de Roo L. 12. p. 456.

o A. 15. 2.

p Goldasti Constitutiones Imper. T. 3. p. 484.

stantia non una apud scriptores querela , q grata sine dubio hæc contra Gallos vindicta fuit ; qui, referente illustri Galliæ Historico , r Codicem rubrum se posuerat , in quo omnes a Gallis acceptas injurias conscriberet. Sunt qui singularem prorsus deserti hujus a Cæsare Concilii occasionem allegant. s Scilicet cum paulo ante de Julii vita dubitaretur , instigante Severinate Cardinali , consilium cepisse Maximilianum, Cæsareæ dignitatis cum axiomate Romani Episcopi commutandæ; vel ex singulari quodem pietatis fervore , vel quod sub suo demum Episcopatu Cleri mores in melius mutatum iri crederet; daturum mox hunc in finem ad Paulum Lichtensteini- um litteras, t de mutuo accipiendis a Fuggero trecenties mille aureis in hoc negotium insumendis. Quam eandem abdicandi Imperii causam Nepoti ejus Carolo fuisse nonnulli produnt. u Continuatum interea Concilium La- teranense , x aucta que iñdies Julii in Galliæ Regem ab omnibus jam desertum ira ; insecuræ in eundem com- minationes ; citatus Romam Galliæ Clerus & inter alia præsertim de abolenda Pragmatica Sanctione in eadem Synodo actum. y Quin tandem , teste ipso Carolo Mo- linæo , Diploma plenissimæ remissionis Julius concessit omnibus, qui Francum occurrentem interficerent. z Arro- ganter

q Baco de Verulamio Hist. Henrici VII. p. 95 & 140. Mariana L. 30. C. 4.

r Mezeray ad A. 1506.

s Schilterus de Lib. Eccl. Germ. L. 7. C. 1. §. 5. Mariana L. 30. C. 5. Spondanus.

t Goldasti Polit. Reichsh. P. 12. tit. 4. p. 428.

u Brantome.

x Acta hujus Concilii Tom. 34. Concilior. edit. Reg. Cabassu- tius in Notitia Ecclesiastica p. 583.

y Sessione 4.

z Spankemius Hist. Eccles. sec. XVI. Cap. 2. n. 3.

ganter nec sine impudentiae nota hæc , a cæteris Historicis cautius tradita , edifferit Hispanus ille , *Ælius Antonius Nebrissensis* , a qui Gallum , moderatissimum sane & prudenterissimum principem his prosequitur verbis : *Ludovicus Gallorum Rex more gentis suæ homo levissimus , non contentus se intra pelliculam suam , hoc est intra Regni sui fines , continere , animum in Italianam injectit &c.* Et paulo post : *Igitur Pontifex Julius ira percitus gladium ex Petri manibus corripit , in rebelles contumacesque stringit : ipsos Schismaticos ac proinde hæreticos declarat : bona publicat : ad cuius sententias executionem Christianos Principes invocat , atque imprimis nostrum.* Tale scilicet encomium meruit Rex optimus , magnitudine animi & que ac sapientia regnatrice , tamque singulari in cunctos benignitate clarus , ut a Francisco Guicciardino , omnium , qui secundum antiquos historias scripserunt , præstantissimo , Ludovico tamen alias haud & quo , b cognomentum *Justi* meritus sit : cujusque adeo sancta & venerabilis inter populares suos est memoria , ut quoties de optimo regimine , & rebus in meliorem statum reducendis agitur , toties Ludovici temporum & ordinis honorifica mentio habeatur. c

Cæterum hac rerum temporumque facie Ferdinandus Catholicus , callidissime occasionibus inservire solitus , consilia de occupando Navarræ regno exequi constituit ; non aptius facile tempus futurum esse ratus , quo incautum Vasconem , dubiis præsertim Galliæ rebus , sub specioso religionis afferendæ titulo , quem facinoribus suis prætendere solitus erat , d opprimeret . Sed jam pridem hoc Cantabriæ regnum situ suo

a *de Bello Navariensi L. 1. C. 2.*

b *Spanhemius Hist. Eccles. sec. XVI.*

c *Tbuanus L. 1. p. 8.*

d *Tbuanus L. 1. ad. A. 1516. Wicquefort Ambassad. L. 1. p. 161.*

suo avidas Hispanis spes excitaverat ; e ita quidem, ut magnanimæ illi viragini Isabellæ, Hispaniarum Reginæ, semper hæc cura insederit, quemadmodum angulus ille, a toto suo corpore divulsus, vel permutatione, vel dotis nomine, vel alia ratione in formam pristinam redigeretur; semperque Horatianum illud in ore habuerit : *O si angulus ille Proximus accedat, nostros qui fœdat Iberos.* Sed & ob id præcipue necessariam hanc esse conjunctionem existimaverat Régina, quod Gallos ab ea parte nunquam esse quietos suspicabatur. Hinceo usque progreditur Nebrisensis, ut addat : *Navarram, quis æquus rerum æstimator judicet, ab Hispania posse disjungi?* Tentata hinc variis modis istorum regnorum unio. Et Johannes quidem Aragonius, Ferdinandi Catholici pater, ducta in matrimonium Blanca, Caroli Navarræ Regis filia, regnum hoc suo conjungere tentavit. f At Blancæ filius Carolus Vianæus hæreditarium a matre regnum post ejus obitum vindicare conatus est : g patre præsertim ad alteras nuptias transgresso; quibus id jam effectum erat, ut nova conjux Johanna in privigni odium Cantabriæ regno præficeretur.

Magnorum hæc motuum fundamenta fuere. h Scissa ejus gentis studia ab antiquo erant in Lusetanos sive Beumontios & Agramontanos ; funesta Vasconibus nomina; ex Gallia secundum Marianam, at juxta Marineum, ex Civitatis Navarræ ejusdem nominis orta. Agramontani suo in Aragonium favore nunc clari : Beumontii vero ægrum Vianæ Principis animum strenue vellicabant ; divinas & humanas leges a patre violatas ; regnum injuria interceptum armis vindicando.

e Ant. Nebriſſ. præf. de bell. Navar.

f L. Marin. Siculus L. 11. 12 & 13. Franciscus Tarapha de Regibus Hisp. in Henr. IV.

g Rodericus Santius Hist. Hisp. Part. 4. C. 37.

h Mariana L. 22. C. 11 & 17.

vindicandum; æquam caussam superis curæ futuram. Constituta ergo a Carolo cum Galliæ, Castellæque Principibus fœdera, & ipsa, regni caput, Pompelo cum aliis civitatibus a Beumontiis occupata, ultima Aragonio minari videbantur; nisi felix mox prælium res ejus dubias restituisset; redacto in potestatem filio, viribusque factionis aliquantis per suspensis. *i* Liberatus quidem ipsorum postea Aragoniæ Procerum studiis Carolus, sed repetitis identidem in Patrem armis, nunquam serio in gratiam cum eo rediit, donec mortem Patris sua prævenit; non sine veneni suspicione multorum cum lacrymis Barcinone extinctus: *k* Princeps magnitudine animi, Regiarum dotium præstantia & virtutum decore nulli secundus; atque omnium hinc judicio dignissimus regno. Eruditionis quoque fama ad posteros memorabilis, condita Navarrici *l* Aragoniæque *m* regnorum historia. Sed & alia longe celebriori in Annalibus gloria felix, contempto Neapoleos regno, quod ullo ipsi obtulerant cives; *n* felicior, si eadem animi magnitudine nondum prius postulasset regnum, qua sponte oblatum posterius recusaverat. Transiit ergo successionis jus ad natu majorem Caroli Vianensis sororem Blancam; *o* quæ cum Henrico Quarto, Castiliæ Rege, sterile matrimonium haberat; *p* & post hujus deum mortem ad alteram sororem Leonoram; translaturam illud in Foxensem familiam. *q* Unde nova Hispaniæ consilia; nitente præsertim Isabella,

D

Ferdi-

i L. Marinus Siculus de Rebus Hisp. L. 13.

k Mariana L. 23. C. 3. ad A. 1461.

l Vasæus Chron. Hisp. C. 4.

m Blanca Comment. de Rebus Arag. p. 703.

n L. Marin Siculus L. 13. p. 417.

o Joseph Texera vies & gestes des Roys de Navarref. 22.

p L. Mar. Siculus L. 19.

q Garibay L. 17. C. 15.

Ferdinandi Catholici uxore; quæ cum Castiliæ & Aragoniæ regna matrimonio suo conjunxit, de uniendo quoque cum iis Navarræ regno consilia sovit; tentatis & filii sui Johannis, Principis Monarchiæ Hispanicæ hæredis, ante Patrem postea defuncti, nuptiis cum Catharina, Gastonis Foxii unica filia, Eleonoræ nepte, & post præmaturum fratris, Francisci Phœbi, obitum Vasconiæ totius hærede; s ut dotale regnum cum reliquo corpore Hispanico conjungetur. *t* At sperti fuere hi conatus, cum Magdalena Navarræ Regina imparem proci, tum vix quartum annum egressi, æstatem prætexeret, regnoque virum præficiendum esse causaretur. *u* Et prælata tum sane Albretana domus, ex qua illustri gente Johannes in regium Navarræ solium, inito cum Catharina matrimonio, receptus fuit. *x*

Sed hæc ipsa egregie, præter ea, quæ supra memoravimus, viam sternebant, qua voti sui compos fieret Hispania. Albretius enim moribus & consuetudine quidem facilis, sed pro Rege negligentior, injuriæ quam maxime opportunus videbatur; *y* imperante præsertim Hispaniæ Ferdinandi Catholico, qui suæ felicitati, qua universam fere Hispaniam in unum Aragoniæ corpus hactenus commisit, & artes etiam dolosque addere noverat. Hic cupiditate, quam Johannes pater ipsi insinuaverat, a juventute concepta, Navarræ jam diu imminens, publica vi exequi statuit, quod occultis hactenus consiliis Majores sui fructu quæsiverant;

fre-

r A. 1482.

s Tarapha de Regibus Hisp. p. 567.

t Ant. Nebriensis Præfat. de Bello Navariensi.

u Mariana L. 25. C. 5.

x Texera f. 23.

y Favyn Histoire de Navarre L. 12. p. 677.

z Baco de Verulamio Hist. Henrici VII. p. 175. Petrus Martyr Ep. 92. L. Marin. Siculus L. 21. p. 511.

fretus præsertim Lusitanæ factionis, cuius caput Ludovicus Bellamontius, Lerinensis Comes, Ferdinandi nepos, erat, studio. *a* Et confirmavit sane avidam Hispani spem nuperus Angliæ Regis Henrici Octavi ad fœderatorum causam accessus. *b* Insurgente olim Patre, obtentaque a Pontifice venia, Catharinam, Ferdinandi filiam, quæ prius Arturo, Henrici fratri nupserat, in matrimonium duxit, *c* atque hinc studiis in Hispanum propensior, promovendisque ejus commodis aptissimus videbatur. Persuaserat genero suo, Principique, ob ætatis juvenilis ardorem ad bella promptiori, subdolus ficer, esse jam tempus illud, quo pervetusta sua in Galliam & speciatim in Aquitaniæ Ducatum jura exequi posset: utendum esse occasione; defendendam ab impio invasore Apostolicam sedem, & omni studio retundendos esse temerarios Galli conatus. *d* Hæc, quamquam egregie a prudentioribus refutarentur, meminisseque debuisset Henricus supremæ morituri patris, Gallorum opera Angliæ regno potiti, vocis, qua eum, si tuto ac feliciter regnare vellet, ut a bello Gallico penitus abstineret, serio hortatus erat, *e* facile tamen locum invenerunt apud Principem, insigni quodam facinore primordia regiminis sui illustraturum; stimulante præsertim Pontificis decreto, quo gloriosum Regis Christianissimi titulum a Gallo in Henricum, Concilii Lateranensis nomine, transferre jamjam paratus erat; *f* accedente etiam altero ex Vaticano Diplomate, quo

D 2

Ludo-

a Garibay L. 20. C. 15.*b* Larrey Hist. d'Angleterre ad A. 1512. p. 87.*c* Gratianus de Casibus Virorum Illustr. p. 180. Herbertus hist. Henrici IIX. Burnet Hist. Reform. Angl. L. 2.*d* Belcarius L. 13. C. 6.*e* Belcarius loco cit.*f* Garibay Compendio Historial d'Espanna L. 20. C. 14. Meceray ad A. 1513.

Ludovicum in Britanni favorem Aquitania privat Pontifex. *g*
 Anglus ergo, valido exercitu terra marique instructo, ad Fontarabiam copias perducit, Aquitaniam unitis cum Ferdinandō viribus occupaturus. *h* Verum aliud longe socii animo consilium insederat, qui terrore armorum Anglicorum certiorem facilioremque sibi Cantabriæ regni, quod spe jam devoraverat, acquisitionem fore haud falso existimavit. Persuadere hinc conatur Dorsetio, Britannici exercitus praefecto, Ferdinandus *i* necessariam esse ante omnia regni Navarrici occupationem, quod Aquitaniam invasuris a tergo gravissima damna inferre posset.

Stertente ad hæc omnia Albretio, & ad proximum extium fere immoto, Hispanus, colorem bello quæsiturus, legatos ad eum mittit, postulaturos, *k* ut medius inter duos Reges Vasco spectatorem belli ageret; nihilominus tamen Hispanos Anglosque per regni sui fines in Aquitaniam transire pateretur, arcesque aliquot, atque urbes munitas, Stellam, Amajam, & Fanum Johannis ad pedem portus, tantisper dum armis res geritur, sibi permitteret, finito bello restituendas. *l* Arduum & iustum hoc Ferdinandi petitum mora differre tentavit Albretius. At surdus ad hæc omnia Hispanus, moræque impatiens, Ferdinandum Albanum Ducem, tunc juvenem ac famosum in posteris truci prosperaque militia, *m* flagitante quantumvis Aquitaniæ op-

g Ant. Nebrissensis L. I. C. 5.

h Buchananus Rer. Scot. L. 13. p. 456.

i Larrey Hist. d' Anglet. ad A. 1512. p. 88.

k Guicciard. Hist. Ital. L. II. p. 321. Belcarius Comment. Rer. Gall. L. 14. C. 5.

l Turquet Histoire d' Espagne L. 25. p. 188. Nebrissensis L. I. C. 5.

m Famianus Strada de bello Belgico, L. 7. Grotii Annales Belg. L. 2. Meteranus L. 3. p. 109. Reidanus Annal. L. I. Meursii Vita Ferdinandi Albani L. I.

oppugnationem Dorsetio, in Navarram cum selectis copiis mittit. Perculsum subito bello Albretanus, nec milite nec pecunia instructus, de pace cum Ferdinando agere conatur, quasvis mox conditiones recusaturo, nisi Rex omnes arces, filiumque principem extemplo obsides tradat; pro victoris arbitrio postea reddendos. *n* Duriora hæc ipso bello videbantur; itaque superatis montibus Pyrenæis deserit Navarram superiorem Albretius, atque in Benearnensem ditionem aufugit. Tum vero regni, prædæ expositi, civitates amplissimæ, Anglorum etiam, qui non longe aberant, armis territæ, certatim Ferdinando sese dare: ipsa enim regni metropolis Pompelo, ab initio statim intra quatriuum Albani virtute Hispanticum jugum subire coacta, cæterarum urbium expugnationem faciliorem reddidit; accedente in super Beamtiorum factione, quæ a Grammontiis pulsa, partesque Ferdinandi amplexa, plures proditionis socios acquisiverat. *o*

Patere jam sua consilia facile prævidit Hispamus: ut ergo inferioris etiam Navarræ direptionem faciliorem reddebet, *p* Legatos in Angliam mittit, necessitatem facti hujus demonstraturos, impetraturosque, ut Dorsetio mandata mitterentur, ne Hispani consiliis se opponeret, sed ad reducendum potius totum Navarræ regnum exercitus Anglici vires conjungeret. Cantaber interea ad speciem urgetur, ut fœderi accedat; *q* in eum modo finem oecupatam esse Pompelonem, ut securior esset fœderatorum in Galliam transitus. Et decepisset fortassis Albretanum Ferdinandus, prætensa que spe pacis reliquum Navarrici regni cis montes occupasset, nisi provida Ludovici cura prævenisset subdola

D 3

Hi-

n Mariana L. 30. C. 12.

o Garibay L. 20. C. 15.

p Larrey hist. d' Anglet. ad A. 1512.

q Larrey loco. cit.

Hispani consilia. Ille enim Aquitanæ Præfecto Francisco Longavillæ mandata transmisit , ut Vasconici regni cis montes reliquias socio defendendo occuparet, adventanti que Ferdinando omnibus viribus resisteret. *r* Ita regnum suum a vicinis regibus Albre: ius occupatum vidit ; sed quorum alter amico, alter insidioso id fecit animo; alter ut amissa spoliato Principi recuperaret, alter vero , ut , quæ reliqua fuerant, eriperet , Regemque adeo infirmum e regno suo perfide depelleret Prædixerat hæc marito Regina, excelsi profecto animi Herois, tantumque supra sexus sui imo & virorum virtutes eminens , quantum Rex indole tanto fastigio digna inferior erat. Illa cum diu frustra Jo-hannem ad arma capienda,& ad civitatem præsertim Pompe-lonensem cunctis viribus defendendam strenue impulisset, conjugem jamjam fugientem his prosecuta est verbis : *Tu vero regnum relinquis , quod nunquam recuperabis , solumque Tibi in posterum remanebit Johannis Albretani nomen.* *s* Exulanti huic Principi nullum aliud præsentius securiusque perfugium , quam in Gallia fuit, quæ semper sustentandis infelicium Regum Principumque adversioribus fatis affueta. Hispanus interea quicquid superioris Navarræ residuum occupat, & a subditis invitis & refragantibus jusjurandum, præeunte Albano , extorquet. *t* Anglus vero ludibrio habitus spe recuperandæ tum Aquitanæ excidit ; imminentे jam tempestate rebus gerendis haud opportuna , & Ferdinando præsertim moras necente ; vel quod voti jam compos Gallum nimis irritare nollet , vel quod si quid prospere in Aquitania gerendum , aliorum id futurum esse

com-

*r Mariana L. 30. C. 12.**s Turquet, Histoire d'Espagne L. 25.**t Ant. Nebriss. L. 1.C.6.*

commodo videret. *a* Itaque tot armatorum exercitu x ad augendam tantum Principis deceptoris potentiam compa- rato, gener socii quoque perficiam y expertus est, qui religioni sibi fere duxerat, vel suos non decepisse amicos. Tentaverat quidem Ludovicus post Anglorum ex Hispania discessum Navarram ex hostium manibus eripere, ju stoque possessori suo vindicare. *z* Collectus hunc in finem, qui viginti circiter quinque millia impleret, ex ercitus; Ducibus Carolo Borbonio & Longavillano, rei militaris, ut fertur, non satis perito: quibus accessit Franciscus Valesius, ex stirpe Regia Ludovico proximus, *a* & ipse Navarrus, cum nonnullis Vasconiae copiis, qui ad famam hujus belli ad veterem Regem advolarunt. Im minebant jam Pompelonæ Galli, Hispanosque nihil tale cogitantes intercepissent fere, nisi Albani Ducis pru dentia intervenisset; novam nunc bellicæ laudis gloriam consecuti, quod regnum, quod celeritate prius subege rat, nunc fortitudine & patientia Regi suo servavit. *b* Quæsitis ille viarum compendiis, impositoque urbi,

ante

*a Belcarius L. 14. C. 7.**x P. Martyr Epist. 488.*

y Amelot de la Houssaye Discours historique sur les traités des Princes, pag. 71. Le Secretaire Quintana a son retour de France rapportoit a Ferdinand, que le Roy Louis se plaignoit d'avoir été trompé deux fois par lui: Deux fois? reprit Ferdinand, par dieu, il a bien menti l'ivrogne, je l'ai trompé plus de dix. Eadem ex Hispano ad Cominæum Commentatore refert Wicquefort Ambassad. L. I. p. 146. add. Paulus Jovius hist. L. II. a princip.

*z Nebrissensis L. I. C. 8. Belcarius L. 14. C. 8.**a Bellay Memoires L. I.**b Ant. Nebriss. L. I. C. 8.*

ante hostium adventum fortissimo , cui ipse præerat, præsidio , Gallorum consilia prævertit , strenuaque defensione , quam fatalis obsidentibus hyemis sævitia faciliorem reddidit , coegit Gallos , ut copias reducerent ; oppugnato quoque in reditu frustra fortissimo S. Sebastiani castro. Ita in Navarrici regni possessione jam satis confirmatum se vidit Ferdinandus ; c quam tamen firmiorrem reddidit , quum arte sua persuasisset Maximiliano Imperatori , ut cum Ludovico de matrimonio inter Carolum, Cæsarlis pariter Ferdinandique nepotem, & Renatam Ludovici filiam ageret ; quarum nuptiarum spe illectus Ludovicus inducias concessit Hispano ; qui tamen interea Angliæ Regi Henrico , quem induciæ hæ irritare poterant , persuasit , nunquam servaturum se esse , quos modo inierat , temporariæ pacis tractatus. d Navarram vero , cuius Prorex constitutus Albanus , e in Comitiis Burgensibus tertio Idus Junias Anno MDXV. Ferdinandus perpetuo vinculo Castiliæ regno conjunxit , f animum injuste occupata reddere nescium evidentissime testatus ; quem & mox überius demonstravit ; condito paulo ante mortem testamento , quo conjunctionem hanc soleani- ter repetitam confirmavit , posterisque fer- vandam injunxit. g



CAPUT

c P. Jovius Hist. L. II. ab init.

d Larrey Hist. d' Anglet. Henry VIII p. 90.

e Turquet, L. 26. p. 1203.

f Garibay L. 20. C. 21. Mariana L. 30. C. 24.

g Blondel Praef. Apol. ad Genealog. Franc. V. I.

CAPUT III.

Prætextus hujus distractionis refutatus.

Neque tamen Ferdinandus absque splendido juris titulo Navarram occupasse videri volebat. Conquisivit varias regni erepti caussas ; securius profecto disputaturus, cum id, de quo querebatur, prius occupasset. Nec ab initio præter proscriptionem a Julio factam aliquid magnæ rei allatum. At mox inventi sunt, qui varia juris capita producerent; *a* sed ita producerent, ut causæ suæ nocuisse potius viderentur; malæ rei pessimam afferentes defensionem. Præcipuus inter hos fuit *AELIUS ANTONIUS NEBRISSENSIS*, vir grammaticis innutritus argutiis, qui singularem Regis gratiam initurus, duos de *Bello hoc Navarreo* libros *b* conscripsit, atque ob hæc in Regnum merita Grammatici Rhetorisque nomen cum splendido Historiographi Regii titulo commutavit : *c* felix certe dicendus, si novæ dignitatis acquirendæ spes novum ipsi quoque ad veri historici munus genium attulisset. Hujus notissimi istorum temporum Scriptoris, & publica quasi Regis auctoritate comprobati, argumenta producam, quæ ab aliis præterea proferuntur porro subjuncturus,

E

Pro-

a *Ludovicus Correa. Job Lupy de Palacios Rubeos. Pineda.*

b extant in Hispania illustrata T. I.

*c Antonii Biblioth. Hispan. Vossius de Historicis lat. L. 3.
C. II.*

Arg. I.

Provocat ille primo ad jura divina & humana , quibus negatus transitus justam belli præbeat caussam. *d* Nam, inquit, *quid injustius excogitari poterat, quam ad justum bellum proficijcenti negari aditum*, viamque ex jure Gentium cunctis mortalibus communem? *cum præsertim de Regni indemnitate illi fatis caveretur.* Plura quoque e sacris exempla de negato transitu adducit, secutisque hinc bellis a Deo ipso vel approbatis, vel etiam jussis. Sed quemadmodum quidem facile concedo, quandoque ex negato transitu justam oriri posse bellandi caussam, ita in hoc casu illum recte negatum esse constanter afferere non dubito. Neque vero difficulter mecum consentiet, quisquis negligens reliquis Philosophorum circa hanc rem controversiis, id unum præsertim, in quo omnes sane consentiunt, meditabitur, transitum, si quis concedendus est, debere esse innoxium, talemque, ut securitati eum permittentis quam maxime consulatur. *e* Hic vero, converso plane rerum ordine, fortissimas arces Hispanus tradi sibi postulat: *f* egregia indemnitis cautio! & Ferdinandus quidem eas postulat, qui jam pridem toti isti regno inhiaverat; *g* quique, quod rei caput est, breviore in Galliam via penetrare poterat, illæsa Navarra. Sed nec ipsa porro, quam Nebrissensis allegat, belli justitia huc aliquid confert. Præterquam enim, quod ista dijudicatio non semper sit satis expedita, multum sane periculi sibi faceffit, quisquis aliorum litem suam facit, atque duobus armatis judicem arbitrumve se interponit; hoc ipso

d Nebrissensis de bello Navariensi L. 1. C. 1.

e Grotius de jure belli L. 2. C. 2. n. 13. Pufendorf. J. N. G. L. 3. C. 3. §. 5.

f Nebrissensis L. 1. C. 3.

g Belcarius L. 14. C. 5.

ipso facile discrimen aut sedem belli in sua translaturus. Sis porro de justitia belli certissimus, num propterea eadem certitudine convictus es, simili in te justitia fore principem, qui respectu alterius in justissimo bello versatur. Nec est quod de justitia belli Ludovico ab Hispanis illati tantopere glorietur Antonius; verendum sane, ne vel leve exameⁿ, Ferdinandi in isto negotio perfidiam potius quam aequitatem prodat. Accessit speciatim in hoc casu, quod plurimæ, quas Albretius in Gallia possederat, provinciæ singulari quodam necessitudinis fideique vinculo eum Ludovico junxerant. *b* Hanc ille profecto in Hispani favorem frangere nec debuit nec potuit; gravissimi in Dominum perfidiæ criminis exemplum datus, effecturusque, ut post illatam sibi ab Hispanis injuriam, juste suis etiam in Gallia provinciis, quæ unicum postea extorri familiæ solatum præbuerunt, privaretur; adeoque facile evenisset, ut, qui minus malum evitare cupiebat, majus incurreret; partemque regni servaturus totum amitteret. Atque hæc egregie declarant, quam male coacervatus ille & e Sacris prolatus exemplorum cumulus huc quadret; quorum diversissimam a nostro rationem quilibet rerum peritus facillime deprehendit. Nimium ergo jam concesserat Albretius, cum in arcum Navarræarum, quas Ferdinandus postulaverat, sequestratos consensisset; qua tamen, nisi additis porro aliis injustis conditionibus, contentus esse noluit Hispanus. *i* Sed demus tandem Nebrissensi; inuste Albretanum recusasse transitum; num propterea Rex toto regno ejiciendus & posteri a successione excludendi: finito saltem bello, cur spoliatus non fuisset restituendus, nullam plane rationem video.

E 2

Ad

b Arnoldus Ferronus Rer. Gall. L. 4. p. 81. Nebrissensis L. 1.

C. 3. Mariana L. 25. C. II.

i Nebrissensis L. 1. C. 3.

Arg.II. Ad alia itaque argumenta progreditur Antonius , ut ostendat, Navarraim jam olim Hispaniæ jungi debuisse, adeoque Ferdinandum vetera Hispanorum in istud regnum, vel sua etiam jura tantum vindicasse. Confidenter enim afferit , *k* *Blancam juniorem, Johannis Navariae ac deinceps Tarragonensium Regis ex Blanca uxore , filia Caroli procreatam, quæ fuit Enriquo hujus nominis Hispanorum (sive Castiliæ) Regum quarto nupta , ac deinde repudiata , veneno interceptam a Leonora sorore , ejusque marito Foxensi Comite, ut ad ipsos regni successio perveniret.* Itaque regnum injuste acquisitum juste nunc , ultirobus Hispanis , amissum. Paulo aliter **Mariana** , *l* qui nescio quo errore *Blancam illam, Claram* vocat, afferitque, hujus voluntate & donatione jus ad **Navarra** regnum per maritum in **Castellanos** translatum. At malitiose hæc & invita plane veritate traduntur. *Blancam* enim a marito repudiata monasterio se inclusisse *Cassani* relatio est. *m* *Quid jam veneno opus ? ut soror regno valediceret, quæ mundo, omnique rerum terrestrialium curæ jam pridem valedixerat : qui Eleonora maturare ejus obitum voluisse poterat, quæ respectu regni rerumque civilium jam mortua erat.* Tacente saltem rem tam parum probabilem magno, qui alias de morte hujus *Blancæ* agunt, scriptorum **Historiæ Hispanicæ** choro , mirare , **Lector**, frontem Antonii , hæc tanquam *Sibyllæ* folia venditantis , provocantisque ad publicam hominum per orbem notitiam. Defendat ille potius **Aragonios** suos, eosque a beneficio in *Blancæ* fratrem, **Carolum Vianæum**, patrati criminis suspicione liberet. **Veneratio** sane interceptum plurimorum consensus, vel certe suspicio. *n* *Nec defunt, qui Johannam, Aragoniæ Regis Jo-* hannis

k L. i. Cap. i.

l L. 30. C. 24. add. L. 23. C. 4.

m Recherche des droits &c. L. i. C. 4.

n Mariana L. 23. C. 3. Garibay L. 17. C. 8.

hannis alteram uxorem hujus facinoris postulent ; o Ferdinandi (postea Catholici) filii sui commodis invigilaturam ; usurpantem profecto cum marito hæreditarium Caroli a matre regnum ; p illudque exclusis privignis, legitimis successoribus, in suos liberos facile derivaturam. Atque sic ipsi quoque Blancæ minus periculi a sorore, quam a noverca imminuisset ; quæ, sublato Carolo, famosum illud porro inter Henricum & Blancam divortium procurasse scribitur ; suppressendæ, si quæ ex illo matrimonio nascitura fuisset, soboli ; q impediendæque adeo Navarrii regni, cui ipsa inhiabat, cum Castilia coniunctioni : magno sane imbecillitatis humanorum consiliorum documento. Quodsi ignara tum fatorum Johanna imminentem filii, Castilianum cum Aragonio regno juncturi, felicitatem prævidere potuisset ; hanc Navarræ cum Castilia unionem promovisset potius ; Hispaniæ profecto commodis quam maxime consultura; quæ meliori, imo optimo juris in Navarram titulo gloriaretur.

Nunc vero concedamus afflictum Eleonoræ scelus : oppresserit illa sororem veneno : quid hoc ad Hispanos ? quid juris inde hisce in Navarram accresceret ? quid Leonoræ posteros a successione arceret ? Sit *injuste acquisitum* Foxensi familie regnum ; num Ferdinando, extero prorsus & alieno , propterea aliquid juris accedit ? Quod male acquiritur, non semper respectu tertii recte amittitur. *Ulciscitur*, ais, dirum facinus Hispania. At non offensa fuit Hispania ; quæ, repudiata Blanca, separatas a Vasconibus res habuit. Si divina hæc fuit ultio, ostendant Hispani, illa semper pia esse arma , quibus aliorum facinora a Deo indirecte castigantur. Atque hujus cœlestis in Foxensem familiam iræ

E 3

cla-

o *Mariana L. 23. C. 4.*

p *L. Marin. Siculus L. 17. p. 456.*

q *Cassian. p. 225.*

clarissima testimonia elicere se putat Nebrisensis & ex brevitate vitæ illorum, qui ex ea gente prodierunt. Verum, præterquam quod justissimos sæpe principes, & populi sui delicias in medio virtutum & gloriæ cursu, occulto fatorum judicio, terris eximat divina providentia, regnisque suis illos tantum fere ostendat, posteriora sane tempora infelix hoc judicium quantum refutavere! Cum stupore profecto miratus fuisses, Antoni, illam temporum longævitatem, qua descendentes ex hac eadem linea posteri breve Majorum vitæ spatiū longissimo regimine compensarunt; judicassesque aliter, si Henrici Magni & diurna Ludovicorum tempora audire tibi vel videre contigisset. Sed neque etiam vidisti, quam fœdum committeres errorem, qui proposito tuo egregie institurus, filium in tenerima ætate extinctum Francisco Phœbo affingis, qui ipse juvenis admodum & improles obiit. Adeo errores erroribus cumulare Tibi solenne fuit.

Longe cautius in hoc argumento eximii prorsus judicii scriptor *Mariana* versatus est. At quomodo ille tamen firmum in *donatione* fundamentum invenire possit, plane non video. Illam certe unquam factam esse, quis in tanto scriptorum silentio credat? Quodsi Blancam, durante adhuc matrimonio cum Henrico, regnum Navarræ marito donasse sentiat *Mariana*, fatendum ipsi certe est, cum inse-
cuto deinceps repudio & omne quoque jus in Navarram, si ista

r. L. I. C. I.

s Tarapha de Regg. Hisp. ad A. 1454. p. 567. Texera f. 23.

t Rodericus Santius Hist. Hisp. P. 4. C. 36. Alphonsus a Cartagena in Anacephalæosi Regg. Hisp. C. 93. Blanca de Reb. Arag. p. 703. Michael Ritius de Regibus Hisp. L. 3.

ista donatio aliquod tribuisset, repudiatum; nulla præsertim, ob Castiliani cuius accusabatur impotentiam, ^u suscepta ex illo conjugio sobole, in quam Blancæ jus transiret. Neque vero post repudium, quæ Marianæ ^x sententia esse videtur, aliquid beneficii in maritum transtulisse Blancam alibi legimus. Et quid conserret in maritum ad novas nuptias progressum repudiata uxor? quæ sane, si vel maxime id fecisset, nullo id facere jure potuit; cum minime tantum potestatis habuerit Regia Princeps, ut in regnum non patrimoniale, quod vocant, exclusis reliquis ex familia, quæ jus quæsitum habuit, successoribus, exteros introduceret.

Atque hæc ipsa affine quoddam argumentum, quod a nonnullis in hac causa producitur, ^y egregie refutant. Petitur hoc similiter est a donatione, sed longe alia, & quæ cum priore illa minime consistere potest. Afferitur nimis, eandem hanc Blancam Parenti suo, Johanni Aragonio, istud donasse regnum, casurum deinde justissimo titulo in filium ex posteriore matrimonio, Ferdinandum nempe Catholicum. At nec hæc donatio, quæ priorem plane evertit, demonstrari potest. Id quidem traditur, ^z testamento instituisse Blancam, ut reliquo vitæ tempore pater Navarræ regno frueretur: quis autem omnimodam hæc donationem involvere dixerit? & si vel maxime involverent, judicandum profecto esset de ea, quod de priore sanam rationem judicare ostendi. Invenio certe Leonoram, Blancæ sororem, Foxiique conjugem interjectis reiteratisque sæpius pro-

^u L. Marineus Siculus L. 19. p. 473. Tarapha ad A. 1454.
p. 566.

^x L. 23. C. 4.

^y Schuuederi Theatr. prætens. L. 2. Sect. 4. C. 8.

^z L. Marineus Siculus L. 17. p. 456.

protestationibus, in bellum subinde evasuris, *a* longiorē
Navarrī regni detentionem pā ri reprobantē. Invenio
etiam, mox post Blançæ obitum Gastonem jure uxoris Leo-
noræ nisum, *Vianæ Principis* (qui primogenitorum olim,
certorumque in regno Navarræ successorum titulus fuit no-
men assūmisſe. *b* Quo ipso Leonoram juri suo, si quid
turbando eo intervenisset, quam maxime prospexisse faci-
le judicamus. Sed & ipse prospexit pater, nullamque
agnovit donationem. Ita apud Marineum Siculum *c* ipsi
Vascones Gastoni Leonoræ Marito declaraverant; Johannis
Aragonii *Regis* *banc esse constantissimam voluntatem*, ut
post ejus obitum statim Navarræ regnum Gastoni restituatur.
Quæ restitutio solenni pacto inter Aragonium octogenarium
jam, mortique adeo proximum & Gastonem ipsum repetita;
atque mox ipso Regis obitu confirmata, condito prius te-
stamento, ex cuius destiñatione Ferdinandus Aragonios,
Eleonora vero Princeps materno jure Vasconum regnum ob-
tinuit. *d* Cæterum de his omnibus convictos fuisse Hispa-
niæ Principes, plura ipsorum facta gestaque docent. Illi
certe sua in Regiis hujus gentis inaugurationibus præsentia; *e*
solenni legatorum ad eam missu; nuptiis apud eam familiam
quam maxime sollicitatis; *f* reiteratis sæpius cum illa fœde-
ribus; *g* & suscepto tandem ejus, pro aviti regni possessione,
contra lites injuste intentatas, patrocinio; *h* constans ejus
in

a *Marineus Siculus L. 17. p. 456. Zurita Annal. Arag. L. 20.*

C. 24.

b *Garibay L. 17. C. 15 ad A. 1465.*

c *L. 17. p. 456*

d *Mariana L. 24. C. 19.*

e *Blondellus Præf. XVII. 4.*

f *Nebrijensis Præf. de bello Navar.*

g *Arn. Ferronus L. 4. p. 81.*

h *Mariana L. 26. C. 2.*

in regnum Navarræ jus satis superque demonstrare. Ergo nec *injuste acquisita*, nec *injuste possessa*, nec *juste deinceps ablata* fuit Foxensi, Albretanæque postea Genti Navarra.

Sed jam ad novum caput pergit acerrimus Hispaniæ Hy- Arg.
peraspistes, & ad illud quidem, quod maximi ponderis esse III.
existimat: producturus nempe Leges pontificias & civiles,
quarum auctoritate Johannes regno potuerit spoliari; quod
fuerit schismaticus & schismaticorum fautor atque prom-
de hæreticus læsæque majestatis reus, atque eodem jure in-
testabilis ipse & omnis ejus posteritas gentilitio regno mul-
etanda; vel brevius; quod per literas Apostolicas identi-
dem admonitus Gallum schismatis concinnatorem noluerit de-
serere. Constringendus hic certe es, Antoni, qui tanta
temeritate in sacratissima summorum Principum jura,
Regumque, qua in terris sublimius nihil est, Majestatem
grassaris. Talia in coronas Principum attentata horret sanior
Philosophia, & purioris Theologiæ Canones detestantur;
solum Deum Majestatis supremæ arbitrum & in temporali-
bus superiorum agnoscentes. i Generosa obnuntiatione
hujusmodi ausus toties retusi sunt, quoties regnis Ottones,
Friderici, Ludovici Bavari, k Philippi Augusti, Philippi
Pulchri l & Ludovici Duodecimi præfuerunt. Imo in simili
eademque prorsus caufsa eleganter tales conatus repressit Gal-
liaz Rex Carolus IX, cum posterorum Johannis Albretani
jura strenue vindicasset. m Id quod & postea n cum omnium
admiratione præstítit Henricus Magnus, adhuc Navarræ
tantum Rex; cum vibrato in ipsum Condæcumque princi-
pem a Sixto V. fulmini, singulari constantia, datishunc in

F

finem

i Casaubonus Epist. 624. ad Frontonem Ducæum.

k Hervuarti Ludov. Bavar. defensus.

l Acta Controversiæ inter Bonif. IIIX & Philippum Pulchrum,
in Leibnizii Mantissa Codicis Jur. Gent. Diplom. p. 288.

m Thuanus L. 35. ad A. 1563.

n A. 1585.

finem ad Lutetiensem Curiam litteris, restitisset. *o* Eadem de immediata Regum & suprema in temporalibus potestate sententia clarissime stabilita atque confirmata fuit in celebribus illis & generalibus Regni Galliæ Comitiis, A. MDCXV. Lutetiæ habitis; *p* nec non in solenni Gallicani Cleri conventu Anno M DC LXXXII. Ludovici Magni iussu instituto *q* clarissime repetita. Sed & ipse quondam Hispaniæ Rex, Ferdinandique pronepos, Philippus Secundus, quo nemo suæ ætatis principum Romanam sedem impensius coluisse putatur, repudiato in causa Lusitanica Pontificis iudicio, *nullum se in terris habere judicem quam Deum* solenniter toti orbi declaravit. *r* Ergo cum etiam superiorem in terris agnoverit neminem Johannes, nec læsa Majestatis ullo modo reus esse potuit, nedum ex illo capite deponi, aut cum posteris suis ejici regno.

Verum demus Nebriffensi, Pontificio carmine devoveri potuisse Johannem; demus ipsum per leges Canonicas indignum declarari potuisse regno; nunc tamen contra eundem, totamque scriptorum Hispanicorum, maxima alias auctoritatis, cohortem, Hieronymum Zuritam, Prudentium Sandovallium, Stephanum Garibajum, Johannem Marianam, Ludovicum Corream, & ipsam quoque solennem unionis Navarræ cum Hispania formulam, *s* constantissime assero defendoque, nullam, ante regnum Vasconiæ ab Hispanis occupatum, Roma in Johannem prodisse execrationem.

Et

o Hotomanus in fulm. bruto. Larrey Hist. d'Anglet. ad A. 1585.

p Grammondus Hist. Gall. L. I.

q Dupin Puissance Ecclesiastique & temporelle.

r in Admonit. ad orb. terræ Prince. vid. Berneggeri Tuba pacis p. 50. Conestaggio de Portugalliae & Castellæ conjunctione L. 4.p. 1124.

s Burgis scriptam d. II. Junii A. 1515.

Et hoc quidem ante omnia quam maxime memoratu dignum , illud tam decantatum,totque scriptoribus celebratum Pontificis Diploma a nemine hactenus productum : mirandum sane tantopere occultatum , quod ut universo orbi palam fieret, Hispaniæ omnino intererat. Accedit & illud in hac causa non minus memorabile, quod hi ipsi quoque scriptores, in gravissima illa temporis sententiæ hujus pronunciatae circumstantia, vehementer dissentiant ; insigni profecto malæ causæ, vel saltem decreti nec ab ipsis visi indicio. Zurita , & Mariana ^t ad duodecimum Kal. Martii ; Sandoval primo ejusdem mensis ; Antonius Nebrissensis ^u post Ravennatense prælium , misasque a Britanno,Majo mense, in Baetulorum collimitio copias , imo post pignora a Ferdinando, in Aquitaniam per Navarros irrumpere parante,petita ; Garibajus ^x post fœdus cum Gallo demum Diploma istud datum esse memorant. At miramur præsertim Marianam cum Mariana commissum. Ille enim ipse , qui Februario mensi promulgationem harum dirarum prius adscripserat , ^y mox sui oblitus , circa Navarræ occupatae tempus Antonium Acuniam, Zamoræ Episcopum , accessisse Pompelonem memorat ; ^z Pontificis verbis obtestaturum , ne Vasco cum factiosis, ac pacem Ecclesiæ turbantibus, res suas misceret , minaturumque acerbius , si secus esset factum. Quomodo hæc cohærent? qui proscriptionis minæ intentari potuerunt illi, qui jam ante quatuor , & quod excurrit , menses execratione devinctus , ditionibus suis spoliatus , & communi omnium Principum prædæ expositus fuit ?

Sed quo tandem facto hanc Pontificis iram in se provocasse scribitur Albretanus ? Fuit hostis Ecclesiæ , &

^t L. 30. C. 8.

^u L. 1. C. 3.

^x L. 20. C. 15.

^y C. 8.

^z C. 12.

hostium Ecclesiæ fautor ; adhæsit Concilio Pisano ; favit Ludovico, Schismatis defensori. Hæc crude nimis & temerarie dicuntur. Tantum enim abest ut apud alios scriptores, partium studio non abreptos, ullum deprehendas vestigium , principem istum , quietiori , remotæque a turbis vitæ deditum Concilio Pisano unquam adhæsisse ; ut potius Catharinam , Johannis conjugem A. MD XVI. protestatam legamus , nunquam eos isti Synodo favisse ; semper se Julio, ejusque decretis fuisse obsecutos. *a* Neque Zamorensis Episcopus , quem ad Vasconem missum modo vidimus , *b* conquestus est de ulla ejus cum damnato Concilio unione ; hortaturus tantum Regem , ut caveat sibi a coniunctione cum hæreticis ineunda. Supereft ut Galli amicitia Albretano fuerit exitio Atqui non fuit inter eos amicitia , nisi post invasionem Hispanorum , quorum armis viribusque impar Navarrus necessariam apud Seniorem & vicinum suum opem querere coactus fuit ; *c* nulla controversiæ inter Julianum & Ludovicum ratione habita. Strenuum potius antea adversarium experti sunt Galliæ Regem Johannes & conjux Catharina ; & quidem jam ab A. MD II. quo Gasto, Nemosii Dux sub patrocinio Ludovici XII. avunculi sui de Regno Navarræ litem intentavit Catharinæ ; *d* hoc præsertim juris titulo nixus ; Navarram , regnum masculinum ad se , tanquam præcipuum ex familia Foxensi hæredem spectare , *e* Duravit ista lis , usque ad Gastonis mortem , quæ accidit prælio Ravennatensi ad tertium diem Iduum Aprilium , A. MD XII. *f* Qui ergo Francus, demum post Gastonis mor-

tem

a Blondellus Præf. Apolog. ad Geneal. Franc. XVII. 4.

b Mariana L. 30. C. 12.

c Nebrissensis L. 1. C. 3.

d Blondellus XVII. 4.

e Guicciardinus L. 11.

f Belcarius L. 13. C. 34. Bembus Hist. Veneta. L. 12.

tem Vasconi reconciliatus , eum in sacri fulminis societatem trahere potuit, quem tum quammaximeoderat; qui-que gravissima odii sui documenta exhibuerat; Benearno redditibus fisci per Senatus Tolosani sententiam addicto; mandatoque subditis promulgato, ne quis Navarræ Regibus militaret. *g* Atque hæc tanto cum rigore tum executioni data, ut isto certe toto tempore Reges Navarræ adversus Gallos patrocinium Ferdinandi , qui ab ipsis patris instar semper cultus, implorarent ; *h* Ejus quoque amicitia saltem ad speciem usi. Neque etiam statim post Ravennatense prælium restituta inter Ludovicum & Navarros amicitia; *i* aliquot finiendæ liti intercessere menses; missis ultro citro-que nuntiis, donec medio Quinctili ingruentia in regno Navarræ Hispanorum arma utrosque, paucis ante invasionem diebus, in seriam reducerent concordiam. Cæterum ex his quoque manifestum est; cum singulari Diplomate non proscriptus sit Vasco , quod nec in alio contra Ludo- vicum , si quod ante invasionem Navarræ prodiisset, simul comprehendi damnarique potuerit. Imo nec ulla solennis execratio in ipsam Galliam ante hoc tempus prodiit. Lu- dovicus demum Idibus Sextilis ejusdem anni a Pontifice di- ris devotus est ; *k* Navarra per integrum fere jam mensem in Hispanorum potestatem redacta : & hujus tamen execra- tionis societas vel appendix, causa invasionis Hispаниæ di- citur. Ita quicquid fulminis in utrumque Principem vel separatim vel simul prodire potuit, id omne prodierit ne- cesse est, Vascone jam ejecto, extorri, & in Gallia exulante. Neque hic mihi contrarius est, sed meam potius sententiam egregie confirmat, Hispaniæ rerum peritissimus scriptor,

F 3

Pe-

g Arnoldus Ferronus L. 4.

h Blondellus XVII. 4.

i Ferronus loco cit.

k Blondellus loco cit. XVIII. 1.

Petrus Martyr, *l* qui in litteris ad Marchionem Bellecensem V. Kal. Sept. demum, A. MD XII. Lucronii datis diserte mentionem facit *plumbatarum membranarum Roma a Pontifice tum allatarum*, & mox in universis Navarræ finibus publicandarum, quæ Regem Navarræ anathematizent. Nonne sic recte cum *Mezeræo m* pronunciamus? esse hoc, diminuto jam hominis capite, sententiam demum pronunciare: quanquam in eo erret candidissimus Author, quod invasionem Junio factam, diras vero *Quinctili* mense promulgatas scribat; cum invasio circa medium ipsius *Quinctilis* susceppta; proscriptionis vero decretum sequenti demum mense publicatum. Recte porro concludimus, non habere tum potuisse, quod occultaret Ferdinandus, Pontificis Diploma; quemadmodum eum fecisse narrat *Mariana*. *n* Memorandum hic tamen scriptoris hujus, quam maxime probati, singulare prorsus testimonium, qui, cum de execratione hac, ex aliorum fortassis fide, scripsisset, tandem subjungit: *Suspecta Ferdinandi Regis fraus erat, & paulatim in plures cœpit manare rumor, eo annitente severum decretum & grave prodisse; conjectura probabilis, quoniam diu penes se in arcano id Diploma Pontificium occultavit.* Patet hinc, quantæ fuisset auctoritatis, si vel maxime sua arte aliquod prius obtinuisset Ferdinandus, proscriptionis decretum; & contra Joannem in primis, cuius proprium non erat regnum, sed Catharinæ; quorumque saltem posteri fuissent restituendi. Sed tandem ipsa quoque totius rei gestæ series manifestissime prodit, non provocatum fuisse in isto invasionis negotio ad ullam Pontificis execrationem. Si regnum Navarræ primo occupanti concessum; si ad diripiendas ditiones ejus totius orbis Christiani Principes invitati; si ipsa gens Regia nullum

l Epistola 497.

m ad A. 1512.

n L. 30. C. 8.

nullum amplius regnandi jus habuit; hocque adeo titulo **Navarram** occupaturus erat Hispanus; quid tot legatis ulro citroque mittendis; quid petitione transitus in Galliam; quid obsidum cautione; quid tot aliis postulatis opus? Cuc ipse Ferdinandus Vasconis legato post invasionem hæc non objecit; solum cum Gallia fœdus objecisse contentus. o Cur Anglorum Dux, ab Hispano quam maxime sollicitus, Albretanum oppugnare noluit; p qui tamen proscriptus & e regno ejiciendus. Longe distinctius atque accuratius hæc tradit, quem modo allegavi, Petrus Martyr. Ille prudentissimus istorum temporum, & in publicis ipsius regni negotiis a Ferdinando adhibitus, versatissimusque scriptor, qui in suis ad *Marchionem Bellecensem*, *Petrum Fagiardum* Epistolis, Hispanorum in occupanda Navarra conatus atque progressus, eo ipso, quo res gestæ sunt, tempore diligenter descriptis, ne verbo quidem usurpati hujus ab Hispano prætextus mentionem facit; hæcque tantum, paulo ante invasionem, per Oratores Navarræ Regi nuntiata fuisse, Burgis XV. Kal. Sextiles A. M D XII. memorat; q ut illico Regi Gallo bellum indicat, sm minus, habebitur pro hæretico, qui contra hæreticum Regem arma movere recuset, & tanquam in hæreticum ibitur. Ad quæ respondit Navarrus; se nihil habere in mandatis a Pontifice, neque Pontificem ei quicquam jubere, quia novit, se nihil posse.

Ergo cum nihil juris vel caussæ habuerit Roma, cur aut e Vaticano, aut e Laterano in Navarrum, ante invasum ejus ab Hispanis regnum, fulmen vibraret; cum nullum, quod usque nunc proferant, Pontificis Diploma habeant adversarii; nullum revera in Vascones prodierit; nullumque hinc quod Ferdinandus occultaret habuerit; cum neminem ad

o Blondellus Præf. XIX. 1.

p Mariana L. 30. C. II.

q Epistola 491.

ad prædam Navarricam Pontifex invitaverit ; Reges illi Schismatici ac hæretici nec fuerint nec declarati sint ; eorum filii cum omni posteritate sua regno & fortunis omnibus multati non sint ; nihil in Hispanum translatum sit a quoquam, aut jure transferri potuerit ; & ipsa denique Navarrica ditio, antequam de Francica decerneretur, occupata fuerit ; recte omnino inferimus , vanum esse hoc , quod Antonius tot flosculis, tot sesquipedalibus verbis exornavit, tantoque hiatu protulit, Hispanorum cauſæ defendendæ, argumentum : quanquam Albanus Dux erga Pompelonenses , & ipse Ferdinandus Rex s & diu quoque post Pius Quintus eodem usi & scribantur ; omnes ut cauſæ suæ servirent.

Arg.
IV. Sed nunc ego ipse tandem asciam meis cruribus illidam ; atque id, quoque Nebrissensis minime urlit , quodque majoris momenti esse videtur , argumentum proferam. Fœdus nempe inter Ludovicum & Vasconem paulo ante invasionem initum fuisse, a scriptoribus Gallis Hispanisque memorari video. Quæ si vera, justissimam debellandi vicini, cum hoste fœderati , cauſam præbuſſe videntur Ferdinandο. Missis enim a Johanne & Catharina ad Ludovicum Regem Legatis , qui, sublata per Gastonis Nemorosii mortem litium discordiæque materia , veterem cum Gallo amicitiam restaurarent , eo res tandem perducta , ut antiquato prius Senatus Tolosani decreto ; *u* restitutoque Navarræis Benearvensium ditionis imperio, Blesis tandem XVI. Kal. Sextiles A. M D XII. fœdus componeretur , cuius præcipua capita ; *Ut Navarri ob feuda, in regno Francorum sita, Regem Regnumque ab invasione externa defenderent, fœdus ab iis cum Castellensibus & Aragoniis antea sancitum eatenus valeret, ut nec*

Fran-

r Nebrissensis L. I. C. 6.

s Olbagaray Hist. Comitum Foxensem L. 2.

t Thuanus L. 46.

u Arn. Ferronus L. 4.

Francis ad Aragonios & Castellenses oppugnandos , nec Castellensibus & Aragoniis ad Francorum injuriā Navarra patet. x Sed quid injusti hoc fœdus contineat, plane non video; atque eo minus video , quo naturæ rerum convenientius est, fiduciarium Seniori præstare subsidia; atque adeo ex ipsa rerum suarum possessione singulari quodam cum eo vinculo connecti. y Tale profecto hoc fœdus , ut omni juri divino atque humano congruum & æquissimum ; tale fœdus, quale inter potentes & imulosque Principes medio & imbecilliori tutissimum ; tale fœdus, quod antiqua societatis cum Hispanis pactæ capita non violaret; tale denique fœdus , quo Vasco præstitit id ipsum , quod Ferdinandus ab eo exegerat, ut, narrante Mariana , z a neutra parte staret, sed medium se gereret inter disceptantes.

At alia plane fœderis hujus formula producitur apud Petrum Martyrem a & Gomecium. b Scribit ille repertrum a sacerdote Pompelonensi ejus exemplar in loculis cuiusdam Albretano a Secretis, qui in pellicis suæ cubiculo interfectus fuerit; hæcque præcipua fuisse capita : *Navarræ Rex bellum Castellæ indicat , & Castellæ fines armatus invadat cum potentia Gallica, quando Regi Gallo videbitur.* Data est hæc Martyris Epistola Burgis XV. Kal. Sextil. A. MD XII. Non una tamen ratione falsitatis argui potest producta hæc ab Hispanis formula. Fœdus certe Blesense compositum XVI. Kal. Sextiles; quomodo autem Pompelone statim resciri potuit, quod pridie Blesiis a legatis actum fuit ? neque ipse Martyr eodem , quo literas suas scripserat, die inven-

G
tum

x Blondellus Præf. XVII. 4.

y Mariana L. 25. C. II.

z L. 30. C. II.

a Epist. 491.

b de rebus gest. Ximenii L. 5. p. 1063.

tum hoc exemplar dicit: ut adeo prolatum dici possit fœdus, antequam confectum. Ipse porro Ferdinandus, ubi Navarrus se ejus arbitrio permisit, Burgis pridie Kal. Sextiles, id unum ei criminis dedit, quod auxiliares copias Ludovico ad Bajonæ defensionem promisisset, & fœdus Hispaniænoxium cum eo percussisset; c altius intonatus, si unitis cum Gallia viribus Hispanos aggredi in pactis illis fuisset decreatum. Imo Mauleonio, Navarri Legato, a Vasconum regno tutos Hispaniæ fines fore pollicito, d fidem non denegaverat Ferdinandus, majora porro postulaturus. Pluribus insisterem tabulis hisce refutandis, nisi animadverterem, ipsum Martyrem parum auctoritatis illis tribuere, dum solennibus circa res suspectas & incertissimas formulis, *Fama est; fertur*, in ea narratione utitur. Ut adeo dubium non sit, exemplum illud, quod a Michaele Presbytero primum prolatum dicitur, vel a scelesto Regis proprii & patriæ proditore tam nequiter quam temere fuisse confictum, vel ipsum adeo Martyrem, de ejus veritate dubitantem, ex incerto saltem rumore hæc scripsisse. Sed non dimittendus omnino hinc es, Lector, quin bonam Hispanorum fidem in hoc negotio mireris. Sit, Navarros Reges periculose Hispaniæ fœdus cum Franco inivisse; sit, eos, neglectis prioribus cum Aragonia aut Castella pactis, contraria nunc cum hostibus ejus inivisse; qui tamen Albanus Dux hæc jam XIII. Kal. Sextiles, quo cum exercitu hostili (qui pridem in finibus Vasconum erat) Navarram invaserat, scire potuit? Duo nempe intercesserant dies, ex quo conditum fuerat fœdus in Gallia. Interjecto tempore Ferdinandus in Hispania certior harum rerum factus; mandata ad Albanum perlata; & Navarra infestis armis percussa. Velocius hæc omnia effecta, quam ex Hispanorum genio judicares. Erravit ergo Ferronus,

cum

c Blondellus Praef. XVIII. i.

d Mariana L. 30. C. II.

cum Ferdinandum, postquam fœdera hæc inita intellexisset, copias deum, quas in Gallum ducturus erat, in Vasconem vertisse tradidit. Jure ergo an injuria jactitaverit Ferdinandus, ex ipsa Cantabri relatione, freditur regnum Navarræ ad Hispanos, si fœdus illa violaret, hic certe non habuit, quod conqueretur Ferdinandus, cum in vigore manserit, imo confirmatum fuerit, quicquid pactorum cum Hispanis antecedere poterat. Unde & illud apud Ferronum *g* fœdus, cuius Boeclerus, *b* &, qui totum hujus Navarreæ controversiæ caput verbotenus ex eo descripsérunt, Spenerus, *i* & Schvvederus *k* mentionem faciunt, omnino illibatum mansit, neque novo hoc cum Gallia fœdere ipsi quid detractum fuit. Cæterum uti ex nullo pacto Hispania id sibi arrogare potuit, ut nihil opis Ludovico Seniori suo, ratione provinciarum in Gallia, præstaret Navarrus; ita iniquissime porro postulavit, ut ratione reliquæ Navarreæ opes suas socialemque exercitum in Ferdinandi auxilium conferret; *l* cum Navarram Hispaniæ feudum esse, nunquam probatum fuerit; neque hic Nebrissensis auctoritas sufficiat, qui ex absurdâ plane ratione Vasconem Hispani beneficiarium vocat. *m* Sic tandem recte cum eodem, cuius candorem sæpiissime miratus sum, Mariana *n* concludo; invasioni huic meram *speciem prætentam*, cum Johannem Albretanum pactis conditionibus non stetisse Hispanus affereret.

G 2

At

*f Arn. Ferronus L.4. p. 81.**g L. 4.**h in Controversiis Illustr. MSS.**i Hist. insignium L. 1. C. 24. §. 51.**k Theatr. Prætensionum L. 2. sect. 4. C. 8.**l Mariana L. 30. C. 11.**m L. 1. C. 3.**n L. 30. C. 12.*

Arg.V. At novum, inter cætera Hispanorum præsidia, causæ hujus stabiliendæ argumentum hunc ipsum *Marianam* o proferre legimus. Petitum illud est ex jure Germanæ, secunda Ferdinandi uxoris, quæ in Gastonis Namursii, fratris locum successerat. Est hic ipse Gasto, quem supra lite Catharinam ob Navarram pulsasse, victoremque apud Ravennam occubuisse memoravimus Verum quæ nova hæc ratio? Si Germana Foixia juris quid in Navarram accepit, siue Ferdinandus uxorio nomine eam invasit, rediit profecto mortuo Ferdinandῳ ad Germanam (quæ nihil prolis ex marito, quod ipse Mariana p fatetur, susceperat) ejusque familiam Navarra, neque mox cum regno Hispanæ & terno vinculo erat jungenda. Certe Ferdinandi Nepos, & successor in Monarchia Hispanica, Carolus nihil juris in istud regnum ex matris suæ Noverca arrogare sibi potuit. Prævidit imbecillitatem hujus argumenti & facile quidem prævidit Mariana; unde eo vix prolatu ita infert: *quodsi eo jure contendas Castellæ Vascones contribui non potuisse; suspicari licet, quid enim vetat, cum prole careret (Germana) factum ejus consensu certaque voluntate: quando post tres annos in conventu Cœsaraugustano Vasconum regnum in Carolum Austriacum transtulit, Castellæ jam & Aragoniæ Regem.* Quis non videt, quam dubie hæc proleta, & meritis conjecturis nitantur. Dabo tamen, transtulisse Germanam in maritum Ferdinandum, atque in ipsum adeo Carolum regnum Navarræ; num id jure fecisset? quamdiu Hispani non probant (quod nunquam probabunt) regnum istud fuisse patrimoniale, uti vocant, tamdiu ipsi facteri coguntur, in Germanæ potestate non fuisse ordinem succedendi, legibus, consuetudine, aut moribus regni constitutum intervertere, & Majestatis jura in novam transferre familiam, priori nondum extincta. Sed hæc ipsa, de observato

vato in Navarræ regno successionis ordine, egregie manifestant, nullum plane Germanæ aut fratri ejus Gastoni competuisse in illud jus; nullumque adeo ipsam in maritum aut ejus posteros potuisse transferre. Enimvero si Regum Reginarumque, in isto regno sibi succendentium, schema accuratius consideremus, q nullo plane negotio inde deducitur, successionem in eo obtinuisse, quam vocant linealem, quæ fœminas etiam admit eret. Non semel in eo patruos eorumque posteros excluderunt fratrum nepotes prioris lineaæ; sed nec semel etiam fœminæ Cantabris imperarunt; vel saltem jus suum aliis communicarunt. Toties id factum, quoties ad novam gentem regnandi jura, extintis prioris familiae masculis, transiere; quod præcedentibus binis tantum ante Catharinam seculis quinques evenisse legimus. Neque adversarium hic experior Marianam, qui potius evidentiam, æquitatem, justitiamque hujus rei alio loco ^r clarissime agnoscit, ubi ex professo Johannis Narbonæ Vicecomitis contra Catharinam conatus improbat, nulloque juris titulo illos defendi posse, vindicata Cantabris fœminarum, qualis in Castiliae regno obtinet, successione, ostendit. Et is ipse tamen nunc Germanæ, Johannis Narbonensis filia, jus illud tribuit, quod prius patri denegaverat; ut profecto non parum hic rursus Marianam cum Mariana commissum mireris. Qui enim Germanæ jus aliquod tribuere potest, qui eam ex posteriore, Catharinam vero ex priore linea ortam & successionis capacem fatetur; imo qui plane id agit, ut Johannis Narbonensis, qui pater Gastonis fuit, motam Catharinæ de regno Navarræ o litem ex inexhausta regnandi aviditate ortam fuisse ostenderet. Ita nimirum fieri solet, ut falsam speciem rebus quæsituri, in absurdâ & contradictoria de-

G 3

laba-

q apud Texeram & Hieronymum Henningem Theatr. Genealog. Tom. 4. Part. postr. p. 57. sq.

r L. 25. C. 5.

labamur. Certe quod Catharinæ patruo ex sequiore linea, non competit jus, illud nec in filium aut filiam ab eo derivari potuit. Brevius ad hunc Hispanorum prætextum respondent nonnulli ^s regerendo; Narbonenses litem tantum intendisse Catharinæ ob Foxium, Bigerrones & alia, quæ in Gallia erant, mascula feuda. At non sufficiens est hæc responsio; contrariis clarissimorum Historicorum testimoniis, Guicciardini, ^t Marianæ, ^u Arnoldi Ferroni, ^x afferentium, Johannem & filium Gastonem contendisse, ipsum Navarræ regnum non ad fœminas sed ad se, proximos ex Foxensi familia masculos, pertinere. Contempsit nimirum patruus Johannes ætatem sexumque Catharinæ neptis suæ, quæ Francisco Phœbo fratre immatura morte extincto regnum occupaverat, & opportunos magnis conatibus rerum transitus esse arbitratus, fœminæ imperium illegitimum accusavit. Cumque in Foxensi præsertim ditione plures partim vi, partim voluntate imperium ejus acciperent, mansit tamen Navarra in obsequio Catharinæ, ex instituto succedendi ordine in avito regno imperantis, atque illud porro ad posteros translaturæ, nisi Ferdinandi aviditas intervenisset. Nulla ergo Catharinæ cum patruo, ejusve filio, opus erat transactione de regno Navarræ. Intercessit ea tamen ex abundanti Anno MCCCC XCVII. quo Johannes, Narbonæ Vicecomes, de omni, quicquid ex materna Leonoræ hæreditate ad se devolutum esse credidit, suo & filii adeoque & filiæ nomine transegit; ^y denuoque optimum maximum Catharinæ in

^s *Cassan Recherche des droicts &c. L. I. C. 4. p. 224. Boëclerus Controversj. Illusfr. MSS. Spenerus Hist. Insignium loco cit.*

^t *L. II.*

^u *L. 25. C. 5.*

^x *L. 4.*

^y *Blondellus Præf. XVII. 4. Cassan L. I. C. 4. p. 224.*

n Navarram jus suo posterorumque nomine confirmavit.

Sed aliud tandem, & vindicandæ Hispanorum causæ peculiare prorsus, ex antiquitate fundamentum eruit solers ille rerum Ibericarum scriptor L. Marineus Siculus. ^{Ari} z Is cum in seculo duodecimo Navarram separatas ab Aragonia, cum qua interdum fuit conjuncta, res suas instituisse memorasset, ^{VI.} a injuste id factum esse pronuntiavit, recteque hinc Ferdinandum postea Aragonium, veteri isto jure nisum, Navarræ incolas sub antiquum revocasse imperium, Aragonumque regno rursus vindicasse. Verum quam singulare, nullique facile alii scriptorum Hispaniæ approbatum, tam invalidum & debile prorsus est hoc argumentum. Junctum quidem etiam cum Aragonia Navarræ regnum, quum, Sanctio a Raimundo fratre imperfecto, Pompelonenses Regio fraternoque sanguine pollutum regnare apud se nolentes, Sanctii Aragonum Regis imperium subirent. b Sed quis approbarit hoc Navarrensum factum? supererat imperfecti Regis filius, juxta alios frater, Ramirus, ad quem regnum spectabat, cuiusque adeo jura usurpavit Aragonius. Itaque ad saniorem mox mentem rediere Navatri, necessitatibus fortassis inservientes, & filium Ramiri hujus, Garsiam Regem sibi constituerunt; atque eo majori id factum est jure, quod, mortua in Aragonio regno bina Sanctii sobole, Petro & Alphonso, absque liberis, ipsi Aragonii, sui se jam juris esse arbitrati, ad novam quoque progressi sunt electionem, donec, post varia dissidia, superstitem & in Benedictinorum Galliæ Cœnobio delitescentem, tertium Sanctii filium, Ramirum Regem nominarunt. c Hoc quidem in Ara-

^z de Rebus Hisp. L. 21.

^a L. 8.

^b Hieron. Blanca Comment. Aragon. Rer. p. 625.

^c Blanca p. 644. sq.

Aragonie solium sublato , agi rursus cœptum est de reducendo Navarræ regno ; arbitri etiam ad id negotium electi , qui in certas unionis leges convenere . At effectus stabilien- dæ hujus concordiæ inopino casu turbatus , istudque adeo conjungendorum Principatuum consilium subito interversum . *d* Jam quæso , quid juris Aragonia ex hoc facto sibi vindicare potuit ? quam injuste & in Regiæ gentis præjudicium , ex Marianæ *e* quoque confessione , facta est hæc unio ! quam juste postea rescissa ! Quicquid certe Diplomatum afferat Blanca , *f* in quibus Ramirus Garsiam , Navarræ tunc temporis Regem , vocat Vasallum , si ea sunt genuina , nihil aliud probant , quam institisse tum recenti adhuc postulato Aragonios ; quod ab ipsis deinde neglectum esse , sequentium temporum historiæ docent ; in quibus peculiare semper regnum fuisse Navarram , taleque ab Aragoniis agitatum , nullaque protestatione turbatum invenimus . In ea sane , quæ apud Marineum Siculum *g* extat , de matrimonio Ramiri filiæ cum Raimundo Barcino-nensium Comite , charta , Garsiam illum simpliciter vo- cat , *Navarrorum Regem* ; & homagii nonnisi ratione certarum civitatum , post mortem Garsiæ Aragoniis reddendarum , men- tionem injicit ipse Ramirus . Sed Garibajus tandem , gravis omnino scriptor , adeo istud Aragoniæ in Navarram jussilet , ut potius hujus utriusque regni Principes , Alphonsi Ca- stiliæ tum Regis Fiduciarios Clientesque fuisse diserte pro- dat . *b*

Quid præscriptio , & insecura cum Galliæ Regibus pacta , transactiones , paces , & fœdera Hispanis profuerint , quidque ad

d Mariana L. 10. C. 16. ad A. 1135.

e L. 10. C. 15.


f Comment. Arag. Rer. ad A. 1135.

g L. 8.

b Compendio historial d' Espanna L. 12. C. 4. p. 663.

ad possessionem eorum stabiendam conferre possint, discendorum, quæ restant, series docebit.

Ita jam defendendæ Ferdinandi causæ nihil superesse video, nec ullum alium ab Hispanis colorem producisco. Obtorto illi collo in partes suas pertractis quibuscunque juribus, facile intelligere potuerunt, in justitiam hujus occupationis divinas humanasque pariter leges loqui; & intellexerunt quoque fortassis. Ea enim frequens humani ingenii est ratio, ut vel partium studio, vel spe lucri ad clarissimas veritates cæcutiat, vel eas saltem agnitas quovis modo opprimat; atque ad novas hinc tricas & temeraria ratiocinia devolvatur, quibus speciem facinoribus obtendat. Unde & hoc exemplo clarissime comprobatum est; viribus potiori argumenta nunquam deesse ad retinendum, quicquid armis occupatum fuit.



CAPUT IV.

Fata & successio regni Navarræ ad nostra usque tempora.

ERGO justo Rege suo privatam se vidit Navarra; sui antea juris, alterius nunc Principis jugum subire coacta. Durum ipsi sine dubio fuit, alii regno contributam, exteroque jugo subjectam se videre: durius tamen conjuges Reges suos ex florentissimo Principatu in exilium, reliquiarumque Regni transmontani angustias redactos conspicere. Non contigit

Augustis hisce exulibus , quod in hujusmodi malis evenire solet; ut, observante Cicerone , *a* Regum afflictæ fortunæ facile multorum opes allicit ad misericordiam , maximeque eorum , qui aut Reges sunt , aut vivunt in regno. Sola Gallia , quamvis ignara tumfatorum , quæ ipsi jam jus in Navarram futuris temporibus destinaverant , eversas fere exulum opes restaurare, pristinoque vigori restituere , sed irrito conatu ausa est. Incubuit itaque huic rapto ad finem vitæ Ferdinandus Catholicus , quamvis toties , cum vi nihil effici posset , de restitutione interpellatus. Neque is , quod maxime mireris , animum suum a restituendo alienum , quod alias facere solebat , oculuit; possessione factionis Beaumontiæ studio indies magis firmata. Vix expiraverat animam Ferdinandus , *b* cum Albretius opportunam regni recuperandi occasionem nactus , viribusque Galliæ fretus , per Pyrenæorum valles Roncalem & Isannam instructo exercitu Navarram ingreditur. Et tum quidem , rebus ob recens Principis fatum nondum plane constitutis , proceribusque de Praefecto in regiones illas mittendo dissentientibus , magnarum rerum gerendarum spes erat , nisi exercitus Hispanici tribunus , Ferdinandus Villalva strenue egisset , dum sui deliberaverant ; incredibilique vigore & præstantia hostium irruentium catervas repressisset. *c* Hujus postea suasu maxima reliquarum per Navarram munitionum pars dejecta ; consilio a prudentioribus partim laudato , partim reprehenso. Sic tandem Catharina cum conjugé suo , Johanne Albretio , quem eodem , quo Ferdinandus Catholicus , anno , non sine veneni suspiciose , obiisse Gomecius *d* scribit , nihil superioris

a Orat. pro Leg. Manilia Cap. 9.

b A. § 6. Tarapha de Regg. Hisp.

c Gomecius de Rebus gest. Francisci Ximenii L. 6. p. 1086.

Larrey Hist. d' Angl. ad A. 1516.

d L. 6. p. 1088.

rioris Navarræ, præter jus ad eam, in filium **HENRICUM** hujus nominis **SECUNDUM**, unicumque regni hæredem transferre potuit. *e*

Æquiora hic fortassis fata speraverat, cum **Hispaniæ Henricus** solium occupantem videret Carolum, Ferdinandi Catholici *II.* ex Johanna filia nepotem; totiusque adeo vastissimæ Monarchiæ hæredem; & illum certe non ex genio ejus formatum, qui in Regna & Principatus quidem avi, sed non in versutiam calliditatemque ejus successisse videbatur. *f* Verum facile postea patuit, hunc Principem, si quis unquam post Regum memoriam, famæ indulgentissimum, *g* qui provinciis provincias semper addere studuit, acceptas ab Avo quocunque jure terras ægre redditurum: accendentibus præfertim sequenti tempore bellis Gallicis, quæ sucrescens quotidie potentissimorum Principum, Francisci Caroli, & mulatio excitaverat, auxeratve: Navarræ tum regno rebus Hispanicis contra Gallos valde opportuno; imo Francis contra Hispanos opportuniore, si Navarro, Regis Galliæ affini, restitutum fuisset. Et moverant quidem ab initio Carolum, æquitatis haud surdum, Galliæ legati in Conventu Novioduni *h* in finibus Lingonum & Sequanorum, ob id quam maxime instituto, *i* ut, sublatis dissidiorum caussis, firma inter Gallum Hispanumque Reges, quantumvis dissuadente Cæsare Maximiliano, & Papa Leone, *k* pax atque concordia reduceretur. Quam eo ardenter ambivit Carolus, cura

H 2

adeun-

e Hardouin de Perefixe, *Histoire de Henry le Grand.* præf.

p. 12.

f Thuanus L. 21.

g Famianus Strada de bello Belgico L. I. *p. II.*

h Mart. Bellay Memoires L. I. f. 14. Thuanus L. I. Jovius L. 18. fin. Guicciardinus L. 12. f. 371.

i XVIII. Kal. Sept. A. 1516.

k Thuanus L. I.

adeundæ Hispaniæ anxius, quod eo tempore gliscere in recenti ejus regno cœperat seditio, plebe in nobilitatem incensa; *l* ortis subinde turbarum in tam vasto Principatu, & inter tot Proceres occasionibus; *m* Regeque adeo juvēne Hispanorum ingenii diffiso, ne absente se, veluti per interregnum, nova porro rebellandi præberetur materia. Inter alia sancte in illo congresu solenniterque stabilita, prolixa in primis de restituendo Navarræ regno, exilibusque in illud reducendis facta est mentio, tandemque conventum; *n* ut Navarræ Regina cum filio per Oratores Carolo, intra octimestre spatiū, jura sua declararent, ipsisque ab Hispano debita ratione satis fieret. Expressæ tamen ibi cautum, ne Gallus hac formulā a fœdere, cum Navarræis prius inito, recedere ullo modo videretur; atque hinc ipsi integrum esset, non insecuta resti utione, Vasconem copiis, armisque suis ad regnum istud recipiendum juvare. *o* Justissima hæc, quamvis in speciem duriora, aliaque Francis haud minus favorabilia, facile a Carolo, temporibus servire gnaro, & domesticas turbas pace cum exteris finituro, concessa fuisse rerum periti judicare poterant. Neque augurio eventus defuit. Missi enim ad Carolum legati, sed eorum petitio elusa: *p* consueto inter mortales exemplo; quo præsentia pericula quibuscumque promissis, sed nunquam implendis, avertere religioni non ducunt. Regina mox ex moerore mortua, *q* Henricus jam solus alteram ad Carolum legationem,

l Arn. Ferronus L. 5. p. 93.

m Gomecius L. 6. & 7.

n Instrum. Pacis Noviodun. num. 28.

o Guiceardinus L. 12. Belcarius in Commentariis Rer. Gall. L. 15. C. 36.

p Caffan Recherche des droits du Roy de France L. I. C. 4. p. 227.

q Texera fol. 23.

nem, & mox tertiam, destinavit; utramque eodem even-
tu. *r* Sed & interea, ut amittendi hujus regni timorem po-
pulis suis; Albretano autem recipiendi ejus omnino spem
præcideret, Carolus in Pinciano *s* Castellensium Conventu,
flagitantibus id regni statibus, *t* Navarræ cum Hispania unio-
nem, in Comitiis Burgensibus stabilitam, testamentoque
Ferdinandi Catholici roboratam, se porro quoque confir-
mare solenniter profeissus est. De expediendo quidem, & in
Albretani favorem terminando hoc negotio, in instituto *u*
Montispeñuli, conventu a præsentibus ibi Galliæ Legatis
strenue actum; sed nec tum Hispanis vel minimum, quod
ad Ipoliati restitutionem faceret, ulla ratione extorqueri po-
tuit: *x* adeo & hoc verum est; Regna & Principatus diffi-
cilius reddi, quam acquiri. Ergo cum Carolum, Marpe-
sia caute duriorem, nihil a proposito revocare posset, *y*
ad arma deuentum; Gallia exulum caussam nunquam dese-
rente. Hanc certe non deserturum se esse Franciscus I. non
solum in Parisiensi, inter Galliæ & Caroli Belgarumtvum Prin-
cipis *z* Legatos, congressu *a* publice declaravit; sed & con-
dita hanc in rem celebris formula; qua Carolus omnino
consensit, ut nisi, decretis ad finiendam Navarræam litem
arbitris, Ferdinandus, maternus ejus avus, Albretanæ genti
satis faceret, justissima essent Francisci, Vasconem omnino
restituturi, arma. *b* Quæ eodem fere sensu in Noviodunensi

H 3

po-

r Blondellus Praef. V. 1.

s Valladolid.

t Sandoval vida de Carlos V. L. 3. art. 60.

u A. 1519. alii 518.

x Du Puy traité touchant les droits du Roy. p. 182.

y Belcarius L. 16. C. 25.

z Meteranus L. 1. p. 17.

a A. 1514. alii 515.

b du Puy p. 182. Blondellus XIIIX. 4.

postea, quod vidimus, fœdere repetita. Promovit bellum hunc Franci Regis, ad extores restituendos, apparatus aucta indies, post Caroli præsertim ad Imperii solium elevationem, inter vicinos hos Principes æmulatio, quam accedens porro fervido utriusque ingenio, etatisque vigori, infelix assentatorum protervia adhuc magis stimulaverat.

Traduxit itaque Hispanici in Carolum belli primordia Franciscus in Navarram; c & Henrici quidem Albretani nomine. Huic tum magna accepti a Majoribus regni recuperandi erat fiducia; exardescente in Hispania denuo flamma civili, cuius vis omnes fere ordines, procerum pariter cæterorumque civium, pervaferat; d qui conjuratione, quam *Sanctam Ligam* e vocarunt, inita, totum jam regnum conquassare videbantur. f Ut obviam iret huic malo Valesques Castellæ Prorex, copias undique contraxit, militeque ex Navarra quoque conscripto, machinis simul bellicis regnum istud Gallis finitimum nudavit. g Læta hæc Francisco, opportunitate usuro. Electus belli Dux Andreas Foxius Esparrensis, h celebris istius in Italico bello Lautreci frater. Is comparato statim sexies mille Vasconum exercitu, additisque ex Regio equitatu trecentis gravis armaturæ, Navarram ingreditur, totumque Regnum mira felicitate aut celeritate quindecim dierum spatio recipit. i Una Pompeo belli momentum erat; ubi quidem civitas Gallo exceptit; at ejus præsidium proximam arcem occupaverat. Imposue-

c A. 1521.

d Figueroa Epitome de la Vida y hechos del Emperador Carlos V.

p. 23. sqq.

e Santa Junta.

f Petr. Martyr Epist. L. 33 & 34.

g Mezeray ad A. 1521.

h Mart. du Bellay Memoires L. I. f. 16.

i Belcarius L. 16. n. 23.

posuerat ei Prorex praefectum *Ignatium Lojolam*, & nobilem Cantabrum, & juvenem magni spiritus & militaris audaciae, vix tam viginti annos egredium; qui insigni ardore suos ad fortitudinem, vimque hostium sustinendam strenue semper hortatus est, donec altero crure graviter saucio, fractisque hinc militum animis, arcem Navarro Gallisque tradere coatus fuit: clementer hinc humaniterque a victore habitus, moxque ad lares Patrios dimissus. Sanato is post vulnera Martios suos spiritus repressos sensit, & imbecillitatis suae conscientius, bellicosque tumultus quieto secessu commutatus, sodalitium instituit, ^m quod a Paulo III. sub *Societatis Jesu nomine confirmatum*, totum mox orbem nominis sui fama implevit.

Capta Pompelone, rediisse jam ad priores Dominos Navarra videbatur; resque omnino securae, si finem terminosque sibi ponere scivisset prosperitas, fortitudinem in temeritatem saepe convertens; ordinarium felicitatis continuandae obstaculum. Dum enim suo arbitrio fortunam regere audit victor, & novi porro regni occupandi ardore flagrat, Iuliobrigam ⁿ in Hispania Tarraconensi positam ad Iberum urbem invadit, immensaque cupiditati praecepsit addens, plurimis in exercitu suo, haud adeo frequenti, ut stipendum lucraretur, exauktoratis, imprudenti consilio copiarum numerum, quem augere debuisset, minuit; Hispanisque ex veterno tandem excitis, & in communem nunc hostem acriter versis, facilem promptamque procuravit victoram: ^o quam statim Navarra recuperatio insecula est; eadem felic-

k Innigo de Loyola d' Ognez.

l de Guipuscoa.

m Ribadeneira & Bartoli in vita Ignatii Loyolæ. Bouhours vie de S. Ignace.

n Logronno.

o Belcarius L. 16. C. 23.

felicitate velocitateque, qua prius ab Hispanis amissa erat: non indignatis Vasconis Proceribus; qui recipiendi Regis sui cupidi, capta Pompe lone, non Navarræ, sed Franciæ insignia in regno suo erecta conspexerant. *p* Adeo solenne tum fuit Francis vincere, sed & Vinci cum viciissent; diruentे imprudentia, quod fortitudo paraverat. Nondum tamen omnem reducendi hujus regni spem Franciscus abjecebat; usus consilio Boniveti, rei Navalis in Gallia Præse-*ti*, cuius maxima apud Regem suum auctoritas. Collapsæ is rei restituendæ, ulciscendæque, quam Foxius acceperat, injuriæ, eodem anno missus, ut facilior sibi esset Pompelonis, totiusque adeo Navarræ, occupatio, Fontarabiam militari strategemate invadit; *q* fortissimumque istud Hispaniæ ex illa parte propugnaculum brevi tempore expugnat, simul tamen armorum suorum cursum ibi terminat.

Gloriosa hæc quidem auctori suo, totique Franciæ regno, loci tam nobilis expugnatio; ast funestissima simul, si eventum inspexeris. Observavere nimirum rerum periti, *r* occasionem hæc suppeditasse diuturno isti, funestissimoque inter Galliæ Hispaniæque Monarchas bello, quod per septem, & quod excedit, lustra continuis fere cædibus, ultra quinques centena hominum millia devoravit, & utrumque regnum ultimo fere admovit exitio. Adeo bellorum initia Principibus maxime sunt pertimescenda; quæcum ab imperitis plerumque temere ferantur, postea, ubi creverint, nonnisi gravissimo conatu tolli vel opprimi possunt.

Anglia

p Arn. Ferronus L. 5. p. 96.

q Mart. du Bellay Memoires L. 1. f. 22. & 28. Arn. Ferronus L. 5.

r Larrey hist. d'Angl. ad A. 1521. Puffendorf. Introduct. ad hist. C. 5. §. 17.

Anglia per Volsæum Cardinalem arbitrium inter duos hos Principes tum sibi sumserat , eoque jam res omnino perducta , ut de Tornacensi obsidione solvenda , revocandoque Mediolanensi exercitu jam cogitaret Cæsar ; At , superveniente de capta Fontarabia nuntio , ratum habere fœdus noluit , nisi restituta hac , quam Galliæ arma modo occupaverant , urbe^s Durum hoc videbatur Boniveto , apud Regem præpotenti , qui urbem istam , clarissimum victoriæ trophæum , & illustre ad posteros fortitudinis suæ monumentum ratus , principi suo , ut quidvis potius , quam propugnaculum istud (ab Hispanis tamen post triennium rursus occupatum) t restitueret , persuasit : unde tractatus pacis abrupti ; bellum majoribus armis redintegratum . Ita Vasconis jam restituendi spe , an fiducia deturbatus , Franciæ Rex , armorum suorum vim alio in Carolum convertere destinavit ; in Italia præsertim vires suas explicaturus . Verum & ibi Caroli arma prævaluere ; Gallis denuo ex toto Mediolanensi Ducatu ejectis . ^t Atque interea Navarræ Regulus , Mirandæ Comes , solum , quod Albretano in partibus illis reliquum erat , Majæ castellum , in confinio superioris inferiorisque Navarræ situm , Hispanorum etiam imperio adjecit .

Neque tamen improsperi hi rerum successus Francisci de recuperando Mediolano conatum omnino destruere poterant ; stimulante porro Regem temerario Boniveti consilio ; qui , si res prospere cederent , suæ id tantum prudentiæ tributum iri , multumque inde gloriæ accessurum sibi speraverat . Sed spem eventus fefellit ; & tristissima rerum catastrophe insecura . ^x Exercitus Francorum mox ad Ticinum

I

ever-

^s Belcarius L. 16. C. 36.

^t Mart. du Bellay , Memoires L. 2.

^u A. 1522. Guicciardinus L. 14.

^x A. 1525.

eversus, & Rex ipse cum magno Galliæ Procerum numero, inter quos etiam fuit Henricus Navarræus, in hostium potestatem venit; mox in Hispaniam deducendus; ubi tristissimam tredecim mensium captivitatem sustinuit, totamque affinis restituendi spem amisit; de sua modo salute sollicitus. Tantam regnis stragem inferre potest nimius purpuriati apud Regem suum favor; memorandi Principibus exemplo, ad animos clientum probe dignoscendos, ut in ipsorum consiliis distinguant, quid vel boni publici ratio, vel privatum vindictæ studium, eminensque dominandi libido dictaverit, ne unius privati peccata tot millium sanguine totiusque fere regni ruina postea luantur aut expientur.

Extorserant quidem Francisco Hispani, ut captivus in celebribus illis pactis Madritensibus ^z promitteret, quod non solum Vasconis caussam omnino deserere, sed & eum ad renuntiandum titulo jurique suo & posterorum suorum inducere vellet. Sed nihil hoc ad Albretanum. Certe quemadmodum Franciscus Navarri iuribus derogandi nec voluntatem, nec facultatem habuit, ita tali facto aut promisso nec minimum juris Hispaniæ accessit; nihilque porro accedere potuit; quamvis Madritensia hæc pacta Cameracensi pace ^a diserte confirmata; ^b & illa speciatim de Navarro deserendo verba in Crepiacensi pace ^c clarissime fuerint repetita. ^d

Hactenus nihil amplius fiducia Henrico in avitum regnum

^a Thuanus L. 1. Guicciardinus L. 15. Bellay Memoires L. 2. f. 69. Jovius L. 22. Barlandi historia obsidionis Paapiensis ap. Schard. T. 2. Rer. Germ. p. 607. Reisneri Historia Franspergorum L. 3.

^b §. 20.

^c A. 1529.

^d Art. 2.

^e A. 1544.

^f Art. 47.

regnum reducendo superfuisse crederes, reliqua spe, quam exul in Gallo posuerat, Madritensi pacto abscissa, saltem maxime fracta. Subinde tamen, fatis ita ducentibus, meliora sperare jussierat providentia. Celebratus nimirum Nicæz, e maritimo Liguriæ oppido, a Cæsare, Francisco, & Pontifice conventus *f* de tractandis præfertim pacis inter æmulos istos Principes, vel induciarum saltem, conditionibus. Comparuit etiam in eo Navarræ regina, ut Carolum de restituendo regno sollicitaret. Et hic sane eo perductus fuit, ut de matrimonio inter Johannam, Navarræ hæredem, filiumque Philippum injiceret mentionem. *g* Verum & ibi res tum substitut; nascitura mox opportuniore renovandæ petitionis occasione. Orta enim, anno sequenti, in vastissima Gandavensium civitate seditio; *h* cui pacandas per Franciam, magno viæ compendio, in Belgum ire constituit Carolus. *i* Facta in eo transitu & restaurata a Cæsare de Insubria Aurelianensium Principi tradenda mentio; & simul promissa, Mommorantii præfertim interventu, Navarræ restitutio; vel, saltem æquipollentes isti regno in terris Belgicis provinciæ. *k* At securus sui, votorumque compos Imperator, cum Gandavenses omni ope & subsidio destitutos in obsequium egisset, larvam abjecit, Galliæque legato in memoriam, quæ promiserat, revocanti, nihil se promissi dedisse, nec ejusmodi quidpiam scripto mandasse, diserte

I 2

re-

*e A. 1538.**f Sleidanus de statu Relig. & Reip. L. 12. – Famianus Strada de bello Belg. L. 1. p. 28.**g Favyn Hist. de Navarre L. 13. p. 760.**h Chytræus Chron. Saxonias L. 11. Pontus Heuterus Rer. Belg. L. 11. C. II. Haræus in Annal. Ducum Brabant. T. 2. p. 612.**i Sleidanus L. 12.**k Favyn L. 13.*

respondit. *l* Adeo nulli jactantius fidem suam obligant, quam qui maxime eam violare cupiunt. Cum Ferdinandi spolia tam strenue detinuerit Carolus, de restitutione promissisque toties monitus, miror profecto, qua ratione in *Invectiva* adversus Franciscum coram Romano Pontifice, nunquam *je transactionem recusasse*, imo *compensationem idoneam obtulisse*, profiteri ausus fuerit. *m* Non elabi interea quamvis libi passus est occasionem, qua novam detentioni suæ speciem aut quæreret aut prætenderet. Obtulit enim Carolus Henrico Albretano Navarræ regni restitutionem, sed & addito simul petito, ut unica Vasconia regni hæres filio suo, & futuro in Hispanica Monarchia successori, desponderetur. *n* Patuerunt facile Iberica consilia; sed & Iberis mox animus Henrici oblata recusantis patuit. Dubium, quid eum in diversa traxerit; id tamen certum; repulsa hac Carolum tantopere commotum irritatumque, ut tandem, Comitiis totius Navarræ regni Pompe lone institutis, *o* Philippum, Asturiarum Principem, Navarræ Regem solenni ceremonia declararet, animumque aliena porro detinendi certum publice ostenderet. Adeo Navarra semper restituitur & semper detinetur!

Lusit hanc fabulam & Albretanos semper delusit Carolus, usque ad suprema. Sed postquam rarissimum istud aulæ prodigium ediderat, ut cum imperaret, imperare desisteret; *p* vastusque ille animus magnam orbis partem imperio suo com-

l Belcarius L. 22. C. 38. Paul. Jovius L. 39.

m Blondellus V. 1.

r Favyn L. 13.

o A. 1549. Favyn loco cit.

p Natalis Comes L. 9. p. 198. Haræus in Annal. Ducum Brabantiae Tom. 2. pag. 688. Wilb. Godelevæus in hist. abdicationis Caroli V. apud Schardium T. 2. Rer. Germ. Goldasti Pol. Imp. P. 7. p. 379.

complexus, detumescente, quæ illum distrahebat, ambitione, paulatim ad se rediret, curatus jam cuncta contemplari, faciliusque vim a justitia distinguere poterat. Itaque, cum non semel antea de reddenda Navarra cum celeberrimo istius temporis Doctore, Martino Aspilcueta, eruditionis, pietatisque singularis fama conspicuo, qui identidem eum admonuit, ut conscientiæ suæ hac restituzione consuleret, ^q deliberasset, tandem morti proximus id præcipue cogitavit prudenterissimus Princ:ps, ut de injusta hujus Regni occupatione Albretanis satisficeret. Hunc in finem Codicillum reliquit, in testamento filii ejus Philippi repetitum, quo præfatus, ^r putare se nonnisi justas ob causas Navarram a Ferdinando Aragonio avo in potestatem redactam; nihilominus, ut iis, quibus adempta erat, de ea satisficeret, Philippum rogabat; iis tamen conditionibus, pergit Thuanus, quæ frue jam tunc eo consilio apposita, frue postea subtilius, quam bona fides patiebatur, interpretatione detorta in causa fuerunt, ut justam de illius regni recuperatione spem, non solum a Regibus nostris, sed & iis, quorum magis intererat, conceptam Hispani hactenus ludificati sint. Iisdem ergo vestigiis institit Caroli posteritas, Patris, & Avi exemplum strenue imitata. Philippus certe secundus, Caroli filius, extrema patris voluntate neglecta, Navarram per totum vitæ tempus retinuit, nulloque modo iis, quorum res agebatur, satisfecit; in fine demum vitæ conscientiæ vulnus sentiens; cum pariter filio examen occupati hujus regni jamjam expiraturus, sed frustra, commendasset. ^s Adeo eadem semper luditur fabula, & in rebus

^q Thuanus L. 84.

^r Thuanus L. 21. ad A. 1558.

^s Thuanus L. 120. ad A. 1598.

humanis secula personæque intereunt, caussæ & eventus iidem
recurrent. ^s

Sincerior fuit Gallorum Regum in exequendis paren-
tum testamentis, quibus in Hispanorum favorem, si cre-
dendum ipsis, disponebatur, & fides. Ruscinonis & Ce-
retaniæ Comitatus vel in perpetuum, vel, quod Hispani vo-
lunt, in pignus Ludovicus XI. a Johanne II Aragonio ac-
ceperat. Restitutionem eorum filio successorique suo mo-
ritu-

^s Amelot de la Houssaye Discours Historique sur les traitez des
Princes p. 52. Tout pieux & archicatholique qu'etoit
Philippe II. il se garda bien de donner dans l'ecueil de
la restitution. Aux aproches de la mort, il fit bien un
codicile, par le quel exposant, que l'Empereur Charle-
Quint, lui avoit ordonné par son testament, de faire
examiner par des Docteurs habiles & desinteressez le
droit de la Maison de Bourbon sur la Navarre; à quoi
les guerres étrangeres, & domestiques l'avoient empêché
de satisfaire; il enjoignoit à Philippe III. son fils, de
l'aquiter de cete obligation, & de restituer ce Royau-
me aux heritiers de la Maison d'Albret, s'il se trou-
voit, qu'il n'apartinst pas légitimement à celle d' Au-
triche. Mais comme les Princes veulent toujours acor-
der la Raison d'Etat avec la Religion, il ajouta
à ce Codicile une clause, qui eludoit pour jamais
l'execution de ce qu'il ordonoit, pourvu, disoit-il,
que cete restitution ne prejudicie point à la Religion
Catholique, (voilà pour dieu) ni au repos des Ro-
yaumes d'Espagne (voilà pour les Rois ses successeurs)
qui, lors qu'on leur aléguera les testaments de Charle
Quint & de Philippe second, n'auront qu'à répondre,
que la restitution de la Navarre troubleroit le repos &
la paix de leurs Etats.

^t Ant. Nebrissensis Dec. 2. L. 3. C. I.

riturum injunxisse Gallum Hispani affirmant. Et Carolus sene Octavus, quanquam ab in tio dubius, postea utrumque Comitatum, fortissima Gallia contra Hispaniam propugnacula, obstupescente Europa, Ferdinando Catholico, & quidem non redditia forte, concessit: suppeditata mox Hispanis uberius mirandi materia, unde tanta Francis liberalitas, tam facile reddentibus, quod immensis mox arumnis infinitisque sumptibus ultra Alpes indagatum ibant: cuius tamen extraordinariæ restitutionis diversi diversas caussas afferunt. ■ Ferdinandi vero posteri, tam generosum Gallorum factum imitari nescii, contrario hactenus exemplo imprudentiæ nimios istos conscientiæ Carolinae stimulos satis superque accusarunt.

Cæterum quantuscunque artes Hispania, juris sui infirmi prorsus conscientia, alhibuerat, ut solidiore justioreque titulo Navarram sibi servaret, omnes tamen conatus irriti erant, fatis refragantibus, quæ Navarricæ Majestatis axioma Borboniis, & per eos Galliæ Regno destinaverant; uni genti duplex sceptrum allatura. Erat Henrico II. Albretano uxor *Margaretha Vallesia*, Francisci Regis soror; digna cui elogium totus orbis dicere; ingenii præclarissimi fœmina, & amantissimæ humanitatis; libertatis conscientiarum affertrix generosa, & literatorum protectrix incomparabilis; quas ob dotes decima Musa, & quarta Gratia dicebatur. x Genita ex hoc matrimonio cum fuisset unica hæres, *JOHANNA ALBRETANA*; Johanna virgo ex Caroli Cæsaris, fereque hostis, elogio, egregia indole, *Albretana* ad ua.

■ *Mariana L. 26. C. 4. Belcarius L. 4. C. 37. Marineus Siculus L. 21. Zurita Annal. Arag. L. 17. C 38. Mezeray ad A. 1492. Memoires de Comines L. 8. C. 16. Guicciardinus L. 1.*

x *Tibiana L. 6.*

ad virtutem nata, liberalique ingenio prædita, *y* procum præcipue habuit Philippum Hispaniæ hæredem, sed ut supra vidimus, infelicem; Cæsare filii pronubo repulsam feren-
Antonius te. Intervenit postea *ANTONIUS*, ex antiqua & illu-
Borbonius stri *BORBONIORUM* familia oriundus, Vindocinique Dux; qui accepta in matrimonium Johanna, *z* Guilielmo quidem Cliven si prius desponsata, totius Navarræ jus in Gentem suam felicibus auspiciis transtulit, *a* illudque adeo ex faucibus Hispanorum extorsit. Henricus tandem Albretanus variis fatis agitatus obiit: Princeps magno animo & frugali splendore; *b* cui sua & Gallorum fortuna defuit, quo minus regnum eorum ope recuperaret, quorum caussa amiserat. Socero statim non solum in splendidissimum Navarræ regni titulum, & in opulentissimas, quas in Gallia habebat, possessiones Borbonius successit, sed etiam in Aquitanie Præfectura, quæ totius Gallie amplissima merito censemebatur. *c* Exortæ mox intestinæ in Francia turbæ, *d* crescente per duorum præsertim Regum imbecillitatem Procerum contentionem; quæ, accendentibus religionum dissidiis, in factiones ac bella ita exarsit, ut vastissimam totius regni compagem jamjam dissolvere videretur; Hispania semper stimulante, &, fatali mox audacia magna regni parte corrupta, rerum Gallicarum arbitrium, nisi Borbonii obstituerent,

y Thuanus L. 21. Hardouin Perefixe, vel potius, qui verus Auctor esse scribitur, Mezeray, *histoire de Henry le Grand* p. 29.

z A. 1548.

a Texeraf. 27. Davila *Historia delle guerre Civili di Francia* L. 1. p. 15.

b Perefixe libr. cit. p. 20.

c Thuanus L. 16. ad A. 1555.

d Memoires de Castelnau. Richardus Dinothus de bello Civ. Gall.

sent, ad se tractura. *e* Immixti his turbis Navarræ Principes sua contra Hispanos jura fere omittere, sed non deserere coacti sunt; viribus animisque eorum a persequendo jure suo, ad defendendam sæpe vitam dignitatemque conversis. Subinde tamen Navarræ mentio facta, vel rerum statu occasionem subministrante, vel etiam ex Hispanorum artibus; quoties e re sua esse rati, ut Navarrum ad alias cogitationes avocarent, speque inani mentem ejus pascerent.

Erat tum idem Antonius ex regia stirpe primarius Princeps, militarum peritissimus rerum, tam prudens ductor, quam fortis bellator. Sed virtutes sua etiam via prægravabant; exigua in consiliis intelligentia, nulla in susceptis constantia, fluctuans animus & in singulis hæsitans; unde blanditiis & vanis promissis inescatus, a suorum amore, atque adeo a propriis caritatibus sæpe alienatus est, *f* aulicis fraudibus non satis assuetus. *Is*, Henrico secundo inter nuptialia orgia & hastiludia nec opina morte extinto, *g* a Mommorantio, Equitum Magistro, in aulam vocatus, *h* ut occupato, quod sanguinis jus ipsi tribuerat, in regimine rerum fastigio, crescenti in immensum Guisiorum potentiae se opponet. *i* Ast homo ab ambitione alienus & alioqui Mommorantio infensus, quod in nupera pace in Cameracensi Castello conclusa *k* nullam regni sui, quod receptu-

K rum

e Satyre Menippée de la Vertu du Catholicon d'Espagne T. 2.

p. 145.

f Thuanus L. 35.

g Thom. Gormerius de gest. Henr. II. Natal. Comes Lib.

12.

h Belcarius L. 28. C. 35.

i Thuanus L. 3. ad A. 1559.

k Paix de Chastan en Cambresis. A. 1559.

rum se speraverat, *k* rationem habuisset, *l* pulcherri-
 mam rei bene gerendæ occasionem elabi passus est: *m*
 triumphantibus Guisiis, quod ab omni generoso consi-
 lio alienum viderent *eum*, quo subverso, de tota Bor-
 bonorum familia, quæ sola ipsorum dominatum re-
 frenatura erat, actum speraverant. Mox ut ab omni pla-
 ne rerum administratione, atque ex ipsa adeo Aula remo-
 veretur, singulari Guisiorum artificio injectus Navarro
 de imminente ab Hispanis Benearniæ periculo timor; *n*
 qui, cum eorum quoque, qui ab initio ad capessendam for-
 titer Rempublicam illum incitaverant, propensionem labefac-
tatam videret, illuc protinus contendit: &, accepta simul, quæ
 novo Guisiorum artificio ipsi deferebatur, Elisabethæ, Henri-
 ci secundi Galliæ Regis filiæ, ad Philippum sponsum in Hi-
 spaniam deducendæ conditione, *o* obtinuit, ut quæsito inde-
 honeste ex aula discedendi colore, discessus sui in fortu-
 nium tegeret, eademque opera Philippi, sibi ut credebat
 infesti, & a Guisianis in suam perniciem incitati, animum
